

Therapia generalis secundum praelectiones publicas, edita a medico practico / Phil. Caroli Hartmann.

Contributors

Hartmann, Ph. Karl 1773-1830.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Lipsiae : L. Voss, 1835.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cm3zd4q6>

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





PHIL. CAROLI HARTMANN

MEDICINAE D. ET IN SCIENTIARUM UNIVERSITATE
VINDOBONENSI C. R. OLIM PROFESSORIS P. O.

T H E R A P I A

GENERALIS

SECUNDUM

PRAELECTIONES PUBLICAS

EDITA A MEDICO PRACTICO.

LIPSIAE,

PROSTAT APUD LEOPOLDUM VOSS,

BIBLIOPOLAM ACADEMIAE SCIENT. IMP. PETROPOLITANAE.

MDCCCXXXV.

20

Sanabilibus aegrotamus malis; ipsaque nos in re-
ctum genitos natura, si emendari volumus, juvat.
SENECA.

PROOEMIUM.

Pauca, Benevole Lector, habeo, quae huic praemittam opusculo. Nomen ac merita Hartmanni sat nota sunt semperque vivent, et revera dolendum esset, si, quodcunque illius procreavit mens, mundo detraheretur literato. Hoc, quod me ad publicationem hujus opusculi induxit, unicum est momentum.

Sors mihi contigit fausta, ut per annum vix nominati Professoris interfuissem praelectionibus, quae audivi rite diligenterque conscripsi omnia, Tuoque B. L., qualia accepi, benigno haec trado iudicio; nihil (si excipias, quod has praelectiones

novae adcommodaverim Pharmacologiae Hartmannianae editioni) mutavi, et nihil magis in votis habeo, quam hujus operis editione auctorii Veneratoribus et scientiae cultoribus omnibus officium praestitisse.

I N D E X.

Prooemium.		
Introductio	Pag. 1	
Pars generalis.		
Sectio prima.		
De sanatione generali	-	3
<i>Caput primum.</i>		
De morborum per solum naturae auxilium sanatione	-	3
<i>Caput secundum.</i>		
De morborum per artis auxilium sanatione . .	-	11
Sectio secunda.		
De cura	-	27
<i>Caput primum.</i>		
De cura prophylactica	-	28
<i>Caput secundum.</i>		
De cura radicali	-	32
<i>Caput tertium.</i>		
De cura palliativa	-	42
<i>Caput quartum.</i>		
De cura vitali	-	43
Pars specialis.		
Sectio prima.		
De medendi methodo ejusdem speciebus . .	-	45
<i>Caput primum.</i>		
De methodo evacuante	-	49

IV

A. Methodus sanguinem evacuans	Pag. 50
B. Methodus emetica	- 55
C. Methodus per alvum evacuans	- 60
D. Methodus diuretica	- 65
E. Methodus diaphoretica et sudorifera	- 68
<i>Caput secundum.</i>	
De methodo solvente	- 71
<i>Caput tertium.</i>	
De methodo plastica ac restaurante	- 74
<i>Caput quartum.</i>	
De methodo roborante	- 79
<i>Caput quintum.</i>	
De methodo stimulante	- 81
A. Methodus volatiliter stimulans	- 84
B. Methodus permanenter stimulans	- 86
<i>Caput sextum.</i>	
De methodo sedante	- 86
A. Methodus sopiens	- 89
B. Methodus antiphlogistica	- 91
C. Methodus leniens	- 92

INTRODUCTIO.

§. 1.

Quidquid cogitat et molitur medicus, ad aver-
tendos, sanandos et mitigandos morbos ulti-
mo tendit. — Ea medicinae pars, quae regulas et
modos tradit, morbos tractandi ita, ut penitus prae-
caveantur aut sanentur aut saltem mitigentur, The-
rapiae nomen obtinuit.

§. 2.

Therapiam in generalem et specialem di-
videre mos est.

Therapia generalis principia et methodos mor-
bos tractandi proponit generales; therapia specialis
principiorum istorum et methodorum ad morbos spe-
ciales et singulos docet adplicationem. — Thera-
pia igitur generalis totius praxeos medicae, quatenus
circa aegrum versatur, philosophiam sistit, nec mor-
bum quemcunque tractandi modus datur rationalis,
nisi therapiae generalis principiis et regulis super-
structus: patet inde therapiae generalis dignitas at-
que utilitas, utpote quae in aegrorum salutem
operanti medico facem ubique praefert.

§. 3.

Morbos radicitus sanare, summus medicinae scopus est; cum vero, quos sanare arti humanae nondum conceditur, tot occurrunt morbi: ut, quousque licet, eorum vim frangamus, aegri misérias minnuamus, et miseram quamvis vitam de die in diem extendamus, tamen adniti debemus.

§. 4.

Duplex igitur morborum tractatio involvit negotium: eorum scilicet sanationem, et, ubi haec non permittitur, mitigationem. Cum vero nondum adeo definiti sunt, ut nulla amplius eorum concedatur extensio, artis medicae limites, nec in eo ubique adquiescendum erit medico, ut solam quaerat morborum hucusque insanabilium mitigationem; indoles enim morborum insanabilis non raro relativa est, et, qui praegresso insanabilis fuit, futurum saeculum sanat morbum.

§. 5.

Medici autem cura non in praesentes modo, sed et in futuros morbos, convertenda est, ut illos, quousque licet, arceat; plus enim homini praestat, qui instantem illi praecavet morbum, quam qui praesentem sanat.

Pars generalis.

SECTIO PRIMA.

De sanatione generali.

§. 6.

Ea processus vitalis determinatio, qua abnormis ejusdem conditio, vel solius naturae, vel artis ope, ad normalem reducitur, Sanatio est; hinc ejus in naturalem et artificialem divisio.

Sanationis naturalis cognitio pro medico summi momenti est, cum artificialem saepe superfluam reddit; cum hujus ubique fundamentum constituit, et ex illa veram omnis sanationis rationem denique medicus intelligit.

CAPUT PRIMUM.

De morborum per solum naturae auxilium sanatione.

§. 7.

**Processus morborum extinctio, et vitae
per vitam ad normam reductio absque omni**

artis conamine absoluta sanatio naturalis est. In considerata hac sanatione naturali duplex nobis expediendum venit argumentum:

1. existentia hujus sanationis naturalis et, quae illi subest, vis naturae medicatricis demonstranda;
2. Ratio, qua obtinetur, illustranda est.

§. 8.

Hunc sanationis modum et facultatem existere, observatio quotidiana tam luculenter ostendit, ut mirum videretur, quomodo in dubium vocari potuerit; nisi constaret, oculum hypothesei obfuscatum nec diei lucem percipere. Vulnerum, inflammationum, febrium et tot morborum aliorum sanatio frequentissima, absque omni remedio artificiali, imo sub perversa vivendi ratione perfecta, hanc organismi vivi vim medicatricem luce clarius demonstrat. Et quomodo absque sanante natura tot aegrorum millia sub iisdem morbis, methodis plane oppositis tractata convalescere potuissent? — Quomodo, quos sors iniqua tot medicis ignorantibus tradit, aegri restitui possent, quomodo, qui medico quocunque carent, omnes illi; quis camporum animalia, quis plantas morbo adfectas sanat? —

§. 9.

Deinde ex ipsius vitae natura vis illius medicatrix intelligitur, tota enim vita revera nihil aliud ac continua cum morbo et morte luctatio est. Organismus enim in tanta rerum externarum vicissitudine

vivens saepe saepius potentiarum nocentium adpulsui exponitur, quae vitam ipsam ejusque substratum organicum a natura sua sat frequenter remonent. Nisi itaque ipsa vitae vis prima morborum rudimenta continuo exstingueret, eoque medicatricem sese exhiberet, morbus morbum exciperet. Porro processus vitalis ex natura sua in eodem perfectionis gradu sese continuo tueri non valet, sed ex necessitatis quadam lege, sive vigorem illius, sive indolem respiciamus, in statum minus perfectum periodice declinat, quem vero ipse virtute propria continuo corrigit, vires exhaustas restituens, easque ad rationem pristinam reducens. Sic et substratum vitae organicum ejusque materia per vitam ipsam perpetuo corrumpitur, et in statum abnormem conjicitur, hunc autem ipsa iterum actio vitalis eo emendat, quod materiam corruptam atque destructam eliminat, et in illius locum novam reproducit. Inest igitur organismo vivo jam ex natura sua molimen perpetuum processum vitalem ejusque substratum ad eundem semper typum conservandi et reproducendi, ex statu abnormi in normalem restituendi, atque in hoc ipso radicitur vis naturae conservatrix, quae simul et medicatrix est.

§. 10.

Qua natura morbos sanat, ratio, sequentibus innititur vitae legibus:

1. Nimius vitae impetus semet ipsum componit, exhaustis per nimiam intensionem viribus vitalibus.

2. Debilitas et languor vitae organismum ad quietem invitat, aut etiam cogit, qua fit, ut vigente interea reproductione ipsa vitae principia et pristina illius energia non raro restituantur.

3. Stimuli heterogeni reactionem organorum fortiores causant, qua repelluntur, subiguntur, assimulantur.

4. Processus morborum specifici in organismo animali emergentes ad certa decursus stadia, quibus absolutis sponte silent, saepius restricti sunt.

5. Viget in organismo vivo continuus in reproductionem nisus, quo ea, quae per potentias laedentes, per effrenis ipsius organismi actionem, per processus morbosos ablata, resoluta, consumpta, destructa fuere, ad primitivum typum et indolem restituantur.

§. 11.

His adminiculis accedit 6^{to}, quo organismi systemata uniuntur et organa, et, qui nunc sub consensus, nunc sub antagonismi specie ad restituendam salutem contribuit nexus dynamicus. Consensus adfectionem morbosam latius quidem per organismum diffundit, sed plurimum quoque in morbum organorum renisum, et, quibus morbi solutio adjuvatur, motus criticos provocat.

§. 12.

Non minora naturae morborum sanationem molienti antagonismus praebet adminicula. Hoc an-

tagonismo fit, ut, altera functione languente, opus suum intendat altera atque languentis vices suppleat. Salutaris ejusmodi antagonismus in secretionibus praepriis et excretionibus conspicuus redditur, quare, altera imminuta aut suppressa, altera saepius augetur, eoque damnum ex suppressa oriundum illico reparat; sic in puerpera lochiorum augmentum, sudor, aut diarrhoea, quae ex suppressa lactis secretionem imminent pericula, saepius avertunt; provocata in alia parte irritatione majore, incitatio partis cujusdam excedens mitigatur; sic, dolore in alio minus nobili organo excitato, dolor in organo nobili saepius sedatur, et s. p.

§. 13.

Nec 7^{mo} ad sanitatem restituendam menti sua desunt adminicula, ut ea, quae ex ratione et experientia sua aegrorum quisque depromit remedia, utpote admodum dubia, taceamus; quae instinctus praebet, certissima saepe ad morbum abigendum subsidia hic modo in memoriam revocamus.

§. 14.

Instinctus est quasi mentis compulsio ad actionem non ex notionibus claris, sed ex obscuris potius sensationibus procedentem, scopo suo tamen optime nonnunquam respondentem. Quas morbus profert sensationes, ingrate et moleste, ut statum praesenti oppositum quaerat, mentem lacerant, et hac via optimum saepe invenit morbo praesenti remedium;

sic qui aestu opprimuntur, refrigerium desiderant, et refrigerati calorem; qui feбри sic dicta putrida detinentur, vinosa plerumque et acidula constanter exposcunt; exhausti reficientia et restaurantia solo instinctu ducti appetunt, et s. p.

§. 15.

Quae de morbi sanatione per solam vitae virtutem absolvenda hucusque exposita sunt, omnia satis ostendunt, vim naturae medicatricem in ipsius vitae natura et morbi ad eandem relatione radicatum esse, eamque nec ex sola mente, quamvis et haec, instinctu ducta, hinc inde ad sanationem contribuat, deduci posse, nec necesse esse ad vim quandam naturae medicatricem sui generis a reliquis vitae viribus diversam, quae nonnisi in morbum avertendum et tollendum agat, refugere.

§. 16.

Sunt, qui vis medicatricis existentiam ex eo argumento negant, quod nec ullus unquam morbus sanetur, quin potentiae externae in organismum aegrum agant, morbique sanationem promoveant; sed haec objectio pugnat contra hostem, qui non existit, cum sanatio naturalis ipsi vitae debetur, et cum vita in organismo particulari existere non potest, nisi in continuo sit commercio cum rebus externis, absque hoc commercio nec morbus sanari poterit; sed nemo unquam, quae ultra vitae leges elata, absque nexu cum natura externa in aegri salutem operari valeret,

vim naturae medicatricem statuit. Illud tamen ex praegressis luce clarius demonstratur, plurimorum morborum, quae sine artis adminiculis absolvitur, sanationem non deberi potentiis quibusdam externis, casu fortuito in aegrum agentibus, nec sanationis huius principium externum esse, sed internum potius, atque in ipsius vitae natura et propriis vitae legibus radicum.

§. 17.

Cum igitur tanta sit in morbis sanandis organismi vivi virtus, quaeri merito potest, an non praestaret morbos ad unum omnes naturae relinquere, et omni arti medicae valedicere? — Quodsi morbi, quousque sanabiles sunt, solius naturae conaminibus certe cederent, superflua forent quaelibet medicorum, in turbanda naturae opera, molimina; cum vero haec res multo aliter sese habet, ipsa in multis casibus necessitas, ut ad medici artem confugiant, aegros urget. Sunt enim morbi per solum naturae renisum ubique insanabiles, et quos ars tuto sanat, sunt alii qui ad certum modo vehementiae gradum delati ab organismi energia superantur, hunc autem (gradum) transgressi vires vitales opprimunt; in his igitur natura iterum artis foedere et subsidio ad depellendum hostem indiget. Quo magis ceteroquin homo a pristino robore suo per luxuriam, libidinem, inertiam, aut labores nimios per vivendi rationem in omnem respectum perversam recessit, eo magis etiam omisit morbos in homine secundum naturae normam vi-

vente rectius et simplicius sanandi potestatem innatam, et eo magis artis medicae praesidio opus habet.

§. 18.

Quaenam est sanationis artificialis ad naturalem ratio, et quando morbus soli naturae et vitali organismi energiae reliquendus, quando medici praesentia et ars in auxilium vocanda? — Ratio haec sequentibus legibus definitur, ad quas medicus practicus ubique attendat oportet. a. Ubicunque organismi vivi facultas morbum brevi, tuto et absque omni sequela mala sanandi certa est: omnis desit artis interventus. b. Ubi natura morbo sanando quidem sufficeret, sed per obstacula accidentaliter retinetur, ars in eo succurrat, ut sanationis impedimenta removeat, quo facto reliquum naturae in sanationis opere progressum observet. c. In morbo quolibet, cujus ea est conditio, ut per solam vitae energiam profligari non possit, ab initio statim omnia artis subsidia adhibenda sunt. d. Si in morbo, quem alias natura quidem sanavit, reactio vitalis excedit, deficit, turbatur, indolem alienam induit, si consuetus morbi decursus non observatur, invocandum erit artis auxilium, quod eo magis urget, quo magis morbi vehementia crescit. e. In omni autem morbo, quem natura antea jam saepius sanavit, sanationis hujus naturalis rationem medicus habeat, atque suum sanationis opus ita instituat, ut sanationis naturalis modum, quousque licet, imitetur.

§. 19.

Patet simul, quid sit, quam expectativam vocaverunt morbos tractandi methodum, et in quo a methodo activa differat; methodus expectativa nihil aliud est, nisi sedula decursus morbi et, quam natura instituit, sanationis observatio, quam sanationem medicus arte sua nonnisi remotis forsan impedimentis adjuvat. Methodus vero activa, in artificiali aut processus vitalis, aut potentiae morbificae aut ipsius morbi mutatione, qua sanitatis restitutio intenditur, consistit. — Haec sanatio artificialis princeps therapiae argumentum erit.

CAPUT SECUNDUM.*De morborum per artis auxilium
sanatione.*

§. 20.

Artificialis relationum organismi vivi ad res externas constitutio, quo ejusdem processus vitalis ad normam, unde recessit, reducitur, Sanatio artificialis est.

§. 21.

Sanatio exquisita non erit, nisi innitatur exacte morbi sanandi diagnosi, ut vero diagnosi adcurata sit, et firmam sanationis basim constituat, morbi non

tantum formam, sed gradum etiam atque naturam recte definiat necesse est; nam ad morbum radicitus tollendum non sufficit remedia morbi formae convenientia adhibere, sed requiritur etiam, ut illius gradui et praeprimis naturae internae sive characteri adaptentur.

§. 22.

Morbum, quousque licet, cognitum medicus non tollit, nisi omnibus organismi aegri ad naturam externam rationibus dynamicis et mechanicis ita dispositis, ut processum morbosum reprimant, exstinguant, et pristinam restituant organismi integritatem. Quorum nunc usu medicus hunc finem adsequitur, adminicula, remedia sanationis dicenda erunt. Haec autem remedia triplicis sunt generis: pharmaceutica, diaetetica et chirurgica. Quae ob vim, qua organismum vivum adficiunt, majorem ad eundem conservandum quotidie adhiberi non possunt, in statu autem morbozo rite adplicata eas in organismo vivo provocant mutationes, quibus valetudinis adversae in secundam promovetur reductio, et quae in officina pharmaceutica plerumque praeparari et adservari solent, naturae aut artis producta pharmaceutica dicuntur.

§. 23.

In remediorum pharmaceuticorum usu ad sequentia attendendum est:

- a. ut eligantur remedia morbi characteri convenientia;

- b. ut adaptentur, quoad efficaciam, morbi gradui;
- c. ut respondeant morbi formae et in partes organismi eminenter adfectas effectum exerant magis specificum;
- d. ut aegri aetati, sexui, temperamento, constitutioni corporis, consuetudini et idiosyncrasiae adcommodentur;
- e. ut loco adplicentur congruo, et denique
- f. ut medicamenti forma, dosis, adplicationis tempus rite definiantur.

§. 24.

Quod ad sanandos morbos contribuit, remediorum genus alterum, ex diaeteticorum adparatu petitur. Remedia diaetetica potentiae sunt externae, quarum organismus ad servandam vitam et restaurandam organisationem continuo indiget, quatenus ad sanandum morbum in auxilium vocantur. Usus illorum et effectus, ita directi ut sanationis respondeant scopo, regimen diaeteticum constituunt.

Medicus morbi sanationem adgrediens in disponendo regimine diaetetico sequentia ordinanda habet: 1^{mo} Electricitatis externae conditionem, caloris temperaturam, aëris constitutionem, sanationis ideae conformes reddat. 2^{do} Victum, ciborum aequae ac potus indolem et quantitatem ad amussim determinet. 3^{io} Vestimentorum quoque genus et lecti constructionem ordinet. 4^{to} Non minus in moderando motu musculari, in determinanda inter motum et quietem ratio-

ne, in praescribendis aegri positione ac situ, in eo tandem, ut aegrum ad excretionem, quae a voluntate dependent, adtentum reddat, medici versetur consilium. 5^{to} Magni porro momenti mentis est regimen, quod obtinetur stimulorum sensus adficientium recto moderamine, debita imaginationis, intellectus et animi per repraesentationes forinsecus ingestas directione. 6^{to} denique somni rationem et tempus ordinare et tranquillitatem, quousque licet, procurare oportet.

§. 25.

1. In moderanda igitur electricitatis externae ad organismum aegrum ratione, pro diversa morbi indole, ejusdem (electricit.) in aegrum vis vel augenda, vel minuenda erit. Qui electricitatis efficientiam in organismo aegro intendere cupit, vel externam addere, vel impedire saltem debet, ne ea, quae in ipso organismo generatur, mox iterum derivetur. Primum obtinemus organismum corporibus positive electricis circumdando alterum isolatoribus illum muniendo. Hic igitur aër siccus, purus, lucidus, machinae electricae, vel columnae galvanicae adplicatio, vestes e bombyce, lana, cum oleo pingui corporis unctio, ex resinis emplastra et similia desideratum praestant effectum. Ut organismo vivo electricitas potius subducatur, alias morbi postulat tractatio, in hunc finem, isolatoribus remotis, conductores admovemus organismo, et sub hoc respectu aëris quidquam humidi, balneorum adplicatio e. s. conducere possunt.

§. 26.

Caloris externi temperaturam nunc majorem, nunc minorem eadem ratione morbi sanatio exigit. Si aegro solis radiis expositum, vel igne artificiali ad debitum gradum calefactum adsignamus cubile, si balnea, fomenta vel calida adhibemus, si aegri cutem fricamus, quae calorem aegrius conducunt, lecti et vestimentorum usum jubemus: calorem circa aegrum intendimus; in morbis, qui tale quid postulant, remediis contrariis calorem externum moderamus.

§. 27.

Aëris atmospherici constitutio non eadem in quocunque esse potest morbo. Cum processus vitalis cum, quo aër gaudet, puritatis gradu et oxygenii in eodem potentia pari passu vel increscit vel decrescit, et cum actio vitalis in variis morbis nunc intendenda, nunc moderanda et imminuenda est: hic puriorem et oxygenio plus valentem, ibi vero, in quo minor oxygenii potentia est, illum sanationi magis convenire, facile intelligitur. Ubi igitur reactionis vitalis vis intendenda est, summa semper aëris puritas servanda erit: quae aëres mephiticos et vapores noxios eructant, aut oxygenium absorbent (ut fermentantia, putrescentia etc.), omnia idcirco ex aegri vicinia removenda; aëri econtra ex regione sicca, lucida, ex campis virentibus liber per fenestras et januas apertas, per ventilatores concedendus est aditus; effluvia putrida vaporibus ex acidis mineralibus

elicitis destruenda, et nonnunquam aegro aër majori oxygenii copia consulto impregnatus ad respirationem afferendus est.

Sunt tamen, qui plenior aëris puritatem et majorem oxygenii vim minus ferunt, morbi, quibus contra, in quo minor est oxygenii potentia aër, cedit; in his casibus aegro conducit in loco degere, ubi non obtinet continua aëris renovatio, ubi adsunt corpora aliquam oxygenii partem consumentia, et moderatam aëris carbonici vel et hydrogenii portionem evolventia. Sub hoc respectu habitatio in silva umbrosa, in pecorum stabulis et s. p. e re esse potest.

§. 28.

2. Victum ordinans medicus, primo ciborum definit genus, ita tamen ut in casu quolibet singulari non solum vitae universae indoli, sed, qua aeger gaudet, digestionis vi, adaptetur; in hunc finem aptam quoque cibos parandi methodum praescribere debet.

Si morbus nutrientia largiora postulat, et aliquem adhuc admittit stimulum, cibi animales praeferendi sunt. Aegris, ubi digestio magnopere languet, jusculum ex carne paratum offertur, si digestio quidquam firmata fuerit, ipsa caro, animalium juniorum, minus pinguum, vitulina, agnina, gallinacea proponenda, cum vero victus mere animalis mox nauseam inducit aegro, hinc et cibi vegetabiles opportuni interponendi sunt. Qui carnem non ferunt, et jusculum nauseant, his lac saepius omnia praestat. Ubi

morbis nutrientia minus stimulantia desiderat, qui nutrimentum sufficiens largiuntur, et digestionem facile subeunt, cibi ex vegetabilibus eligendi sunt. Quantitatem ciborum medicus ita definit, ut eo minorem illorum portionem permittat, quo magis digestio languet; quo minor ceteroquin, quae singula vice conceditur, portio est, eo saepius, si morbi indoles nutritionem sustinere jubet, repetenda erit.

§. 29.

Eaedem regulae potus selectionem dirigunt, qui vero pro varia morbi natura nunc mere aquosus, nunc magis antiphlogisticus, nunc stimulans, nunc nutriens, nunc subfrigidus, nunc egelidus vel et tepidus concedendus erit. Morbi febriles potum copiosorem desiderant; si caractere hyperstenico notantur, aquosum, acidulum, egelidum vel et subfrigidum; morbi catarrhales et rheumatici tepidum; excitantem, praecipue vinosum, qui characterem asthenicum involvunt. Cum vero vinum merum justo magis stimulat, nec sitim satis fallit, cum aqua remixtum propinandum erit, idem potus vinosus morbis in liquationem mitentibus convenit, sed his iterum subfrigidus. Morbis, qui cum reproductione languente aut cum uberiore substantiae organicae consumptione incedunt, potus simul nutriens (e. g. lac, emulsa, cerevisia bona) convenit.

Tempus bibendi sitis determinat. Illis tamen, qui nimis sitiunt, suadendum est, ut saepius

bibant et quaque vice modicam fluidi portionem accipiant, ne nimia potulentorum mole ventriculum opprimant. Sitim suam melius explebit aeger, si potum lente haurit, haustumque per aliquot temporis momentum in ore et faucibus, ut praecipua sitis sede, retinet.

§. 30.

3. Vestes etiam et, e quibus aegri lectus construuntur, materiae cum tota sanationis dispositione concordare debent. In morbis, sub quibus reactio vitalis rapidior procedit, et calor animalis justo plus intenditur, vestes leviores sint, et ex linteo potissimum confectae; aeger simul sub eadem rerum positione lectum plumeum fugiat, et strato ex materiis vegetabilibus, quousque licet, parato committat membra, stragulo leniore obtectus. Ubi vero processus vitalis languet, et caloris animalis exclusio retardatur, veste et lecto magis calefacientibus uti licet, in quocunque autem casu, praecipue sub morbis sic dictis putridis, summa eorum puritas servanda erit.

§. 31.

Totius reliqui organismi vita et omnis hujus conditio magnopere a reactione systematis nervosi dependet, in quam mentis operationes maximam vim exerunt; mentis igitur et illius operationum legitimum moderamen gravem totius regiminis diaethetici partem constituit; varia autem sub variis morbis in dirigendis mentis operationibus praestanda erunt, nunc

enim universa mentis reactio, nunc functio quaedam singularis excitanda venit, alias illius impetus componendus, aut functionum, quibus praeest, omnium concentus restituendus est.

§. 32.

4. In mentem medicus agere non potest, nisi sensuum externorum ope hinc ante omnia alia stimulos sensus externos adficientes disponendos habet, ut sensuum externorum et, qui cum his juncti sunt, sensuum internorum reactionem aut intendant, aut moderent, eoque omnium harmoniam reducant. Pro vario igitur sanationis scopo lucis in aegrum effectus nunc intendendus nunc minuendus erit, in quo lucis moderamine memor semper sit medicus, lumen non solum visus organon excitare, sed vim quoque non exiguam in totam reliquam vitam, praeprimis sensiferam exserere: dejectam systematis nervosi reactionem, mentis stuporem, animum prostratum, timidum, tristem, luce solari, nihil potentius erigit; uti in contra nimias imaginationis et animi turbas umbra non parum et tenebrae sopiunt. Eadem ratione sonorum effectus universae sanationis dispositioni adaptantur. Ubi vitae sensiferae stimuli detrahendi sunt, silentium circa aegrum jubendum est: ubi vero nervorum excitatio requiritur, alacre cum aegro, aut saltem circa illum, colloquium sustinere juvat; hic magna quoque musicae virtus in usum trahenda, quae non solum auditus organon grate adficit, sed animo quoque tranquillitatem aut serenitatem et vim reddit.

§. 33.

Eodem hoc sensuum externorum regimine sensuum simul internorum functiones et quae inde pendent, imaginationis operationes, diriguntur. Sensuum internorum stupor imminuitur saepe per majorem sensuum externorum excitationem, sicuti istorum turbae subinde mitigantur, dum sensibus externis stimuli subtrahuntur. Attamen et hic non ad solum, qui externos inter et internos sensus obtinet, consensum respiciendum est, verum et antagonismi ratio habenda erit: imaginationis scilicet aberrationes nullo saepe alio remedio tam certo componuntur, quam omni mentis attentione in objecta sensuum externorum quasi derivata.

§. 34.

Difficillimum saepe opus pro medico est, aegri animum regere, ejusque affectus et pathemata pro libitu excitare, aut componere; est tamen ubi animi motus maxima sanationis obstacula ponit et ubi morbus devinci non potest, nisi devicto antea animi affectu aut pathemate. Quum quilibet animi affectus sensationi cuidam forti, gratae vel ingratae, innititur, medici animi moderamen molientis erit, in sensationem istam omnem convertere attentionem suam atque illuc agere, ut aut provocet sensationem satis fortem ad excitandum animi affectum, aut deleat eam, ex qua affectus moderandus profluit. Ad provocandam sensationem, atque respondentem huic animi

affectum congrua aegro suggerenda sunt objecta; ut vero praevalens animi affectus reprimatur, antea alia illa removenda sunt, quae affectum continuo sustinent, et alia in eorum loco substituenda, quae affectum penitus contrarium producant. Hunc in finem solitudinis fuga, sensuum externorum grata occupatio, labores musculorum ope peracti et attentionem simul exigentes, consortium cum amicis, rationis usus, morum et religionis praesidia in auxilium vocanda sunt.

§. 35.

5. Motus muscularis non minorem medici attentionem meretur, et omnium primo determinandum erit, an motus muscularis aegro conveniat, an quies praeferenda sit. In primo casu motus muscularis ratio et tempus definienda sunt: aegris, quibus debilitas motum muscularem non permittit, motus, quem passivum dicunt, uti vectio in rheda, et similia egregie saepe cedunt. Ubi morbus quietem jubet, aegri positio et situs ordinandus erit, et nunc situs horizontalis, nunc pronus, nunc supinus, nunc cum capite, alias cum pectore, nonnunquam cum pelvi elatis, nunc in alterutrum latus, nunc extensus, nunc incurvatus commendandus. A musculorum voluntariorum actione excretiones quaedam pro parte dependent, et subinde necesse est, aegros monere, ne nisum ad excretionem negligant et excernenda justo diutius retineant, ex quo fonte solo gravia saepe mala originem repetunt.

§. 36.

6. Somni denique ratio habeatur; sunt enim aegri non pauci, quos nihil melius reficit, quam somnus tranquillus, qui igitur illis, quousque licet, parandus est. In hunc autem finem medicus plerumque nihil aliud praestare valet, quam arcentia somnum impedimenta removere: non desunt praeterea morbi, in quibus nimia in somnum propensio aegros detinet; quin somnus sanationi faveret, hoc in casu somnolentia illa remediis opportunis tractanda et ipse somnus, quousque potest, moderandus erit. —

§. 37.

Tertium, quibus morborum sanatio intenditur, remediorum genus remedia chirurgica sunt (ipsius chirurgi manus et instrumenta), quae, cum adplicandi modo, chirurgiae explicanda relinquere debemus. Nostri est, variam adhuc, qua diversa, quae hucusque enumerata sunt remedia adhibendo, sanationem artificialem absolvimus, adsignare rationem. — Omnium primo ad gravem animadvertere oportet differentiam quae inter directam morbi sanationem et indirectam interest.

§. 38.

Directa dicitur morbi sanatio, quae sublati processus morborum factoribus, aut sublata, uti dicunt, causa illius proxima, morbum directe exstinguit; in-

directa vero, quae non statim ipsum morbum conficiendum adgreditur, sed hujus interitum per intermedias quasdam, quae vel in ipso morbo, vel in organismo vivo morbo laborante artis ope provocantur, mutationes molitur.

§. 39.

Sanationem directam duplici iterum ars medica absolvit modo, rationali nimirum et empirico. Quae morbum remediis adgreditur, quorum in eodem tollendo virtutem experientia jam confirmavit, quin scientia effectus hujus salutaris rationem ex firmis principiis hucusque reddiderit, empirica erit methodus medendi directa. Febris intermittens per chinam sanatio ad hujus sanationis speciem referenda erit.

§. 40.

Ad sanationem directam modo rationali absolvendam requiritur totius morbi cognitio, omniumque, in quibus ad organismum adfectum et ad naturam externam versatur, rationum; qua (cognitione) remedia intelliguntur, quorum adplicatione mutatio organismi abnormis, aut, qui in eodem viget, processus morbosus directe deletur, et quae specifica pro morbo remedia omni jure dicenda erunt. Ejusmodi sanationem omnium morborum ex natura sua sanabilium instituere non valebit nisi medicina omnibus numeris absoluta.

§. 41.

A quo perfectionis culmine, cum longe adhuc abest, quam nos colimus, medicina, ut quae internae tot morborum naturae revelandae, et monstrandis simul specificis eorum remediis imparem sese sentit, indirectam morborum sanationem saepissime moliri cogitur. Hanc nunc indirectam morborum sanationem duplici iterum via adsequi studet medicus: morbum scilicet per vitam, aut morbum per morbum tollere adnitens.

§. 42.

Prima igitur sanationis indirectae ratio ea est, quae, ipsum morbum intactum relinquens, organismi morbo laborantis virtutem vitalem ad eundem superandum determinat, atque viribus vitalibus ex consilio incitatis, moderatis, ad harmoniam reductis, facultatem, qua organismus pollet, medicatricem expellit. Morborum exanthematicorum sanatio exemplum illustrans simul et confirmans praebet.

§. 43.

Alter sanationis indirectae modus ille est, ut morbus per morbum tollatur; hujus duae iterum species existunt, prouti nempe a. morbi sanatio per ipsam morbi intensionem arte provocatam promovetur, aut saltem acceleratur; aut b. alteri morbo per alterum consulto excitatum medela adfertur.

§. 44.

a. Morbi per ipsius morbi intentionem sublatio non vera ejusdem sanatio, sed intra angustiores decursus limites restrictio potius dicenda est. Conatus ceteroquin discrimine plenus, cum, qui morbum intendit, omnia etiam, quae aegro adferunt pericula et miseriae, necessario auget; hanc igitur medendi methodum in sequentibus modo tentare licebit casibus: 1. ubi mitior sanandi modus non habetur; 2. ubi medicus omnes morbi rationes ita intelligit, ut totum morbi decursum, omnem illius in organismum adfectum vim, summum, ad quod intendi potest, fastigium, et, qui instat, eventum cum maxima probabilitate praedicere possit; atque non ipsius morbi cognitio sufficit, sed ejusdem etiam sedes, et organismi adfecti dispositio perspectae requiruntur. Tota ceteroquin haec sanandi methodus ei decursus morborum legi innititur, quod aequalis plerumque ratio inter morbi incrementum et decrementum intersit, et, quod, accelerato incrementi stadio, morbi etiam decrementum atque finis citius adducantur. Hujus sanationis exemplum ulcerum et inflammationis sanatio irritantium usu effecta praebet.

§. 45.

b. Morbus sanatur per alium morbum a primitivo quoad indolem aut quoad locum diversum. Hujus sanationis, quod ex dictis jam elucet, duplex iterum habetur modus.

α. Processus morbosus in determinatis organismi partibus vigens, in iisdem his partibus in processum morbosum alium consulto convertitur, si spes constat, fore, ut morbus secundarius naturae aut arti multo facilius cedat, ac primarius, si nimirum alia medendi methodus faciliior aut certior non superest.

β. Morbum excitamus in parte a parte primario adfecta remota, eo consilio, ut processus morbosus alter alterum ex antagonismi lege reprimat.

Hanc morbi medelam instituere modo licet, ubi morbi consulto excitandi ratio antagonistica ad primitivum liquet aut patet, et ubi iste talis iterum est, ut facilius et certius aut naturae aut artis ope sanetur.

§. 46.

Haec morbi per morbum sanandi ratio omnium, quae artis ope fiunt, longe frequentissima est. Medicamentorum enim, quae a medicis adhiberi solent, plurima ejus sunt indolis, ut organismum potentiarum nocentium instar adficient, et aegro adplicata morbum addant morbo, id quod perspectis emeticorum, purgantium et aliorum effectibus facile intelligitur. Quo frequentior autem hujus methodi usus, et quo majores illius effectus sunt, eo majorem quoque attentionem et prudentiam sibi requirit, ne morbus morbo addatur, aut breviori longior, leviori gravior substituatur, nec medicus in aegri salutem advocatus in illius detrimentum et perniciem adcurrat.

§. 47.

Ubi plures ex dictis hucusque methodis eundem morbum curandi praesto sunt, ceteris eam medicus praeferat oportet, qua morbus tuto, cito ac jucunde sanatur, magis tamen ubique ad tutam sanationem respiciens, quam ad citam ac jucundam, si minus simul certae sunt.

SECTIO SECUNDA.

De cura.

§. 48.

Medico, cui omnem salutem suam confidit homo, officium incumbit omnia meditandi et agendi, ut morbum instantem arceat, praesentem sanet et, si hoc arti concessum non fuerit, illius saltem misérias mitiget: complexus eorum, quae in hominis salutem cogitat, molitur, agitque medicus, Cura vocatur.

§. 49.

Rectam curam nemo suscipit, nisi medicus perfectus; medicus autem perfectus non est, nisi vir ad summum culturae humanae fastigium elatus, non sola scientia, sed sapientia potius; nec solum mentis ingenium, sed morum etiam integritas et corporis sanitas perfectum constituunt medicum.

§. 50.

Medicum in aegrorum cura ubique rationem ducem sequi oportet, hinc in omni casu notionem claram de scopo sibi praefixo et de remediis illum adtingendi habeat. Determinatio eorum, quae ad absolvendam morbi sanationem agenda et adplicanda sunt, ex firmis rationibus deducta Indicatio dicitur; quae medicum ad hanc determinationem ducunt, seu ex quibus ad illa concluditur, quae in curando morbo agenda sunt, omnia Indicantia vocantur; ea vero, quae agenda aut adplicanda ex indicatione cognoscuntur Indicata sunt; quibus remediorum certorum usus in casu praesenti prohibetur, momentorum complexus, Contraindicatio est; quid contraindicata, et contraindicantia sint, ex dictis sponte elucet.

§. 51.

Pro vario, quem medicus cura sua adsequi nititur, fine haec ipsa varia est: prophylactica nimirum, radicalis, palliativa et vitalis.

CAPUT PRIMUM.

De cura prophylactica.

§. 52.

Cura prophylactica non praesentem sed futurum curat morbum, nec qui est morbum sanare,

sed qui timetur antevertere studet; haec cura prophylactica seu praeservativa institui nunquam poterit, nisi morbo, qui timetur, cum probabilitate quadam definito. Prophylaxis quaelibet alio morbo renitens non cognito, quam tueri studet sanitatem subvertit, quam primum a generalibus hygienes legibus recedit remedia pharmaceutica in usum trahens. Vitae ratio ad hygienes normam instituta universalem praebet contra morbos prophylaxim. —

Morbi futuri probabilitas ut curae prophylacticae necessitas adsunt: 1. si in homine magna ad aliquem morbum dispositio observatur, et 2. si potentiis morbificis exponitur ad provocandum morbum sufficientibus.

§. 53.

Si igitur dispositio ad morbum eminet, omnis curae prophylacticae conamina eo vertenda sunt, ut dispositionem illam exstinguant; haec nunc dispositio vel universalis atque per totum organismum aut integrum saltem illius systema extensa, vel particularis et ad unum aut alterum organon magis restricta est. Dispositio universalis singularem semper vitae modificationem supponit, qua fit, ut organismus certis potentiis nocentibus prae aliis pateat. Haec dispositio universalis plerumque alterum systema prae altero, et nunc quidem systema nervosum, nunc vasorum, nunc aliud occupat; unde sequitur, curam prophylacticam in hoc casu ea ratione instituendam esse, ut reactionem vitalem exorbitantem moderet, languen-

tem intendat, et omnium systematum atque organorum actiones et functiones ad concentum universalem reducat; in quibus praestandis opportunum regimen diaeteticum plus plerumque valet, quam remediorum pharmaceuticorum adplicatio.

§. 54.

Sunt morbi, ad quos dispositio non nisi per morbum ipsum tollitur: hos quamvis cura prophylactica avertere non valet, eorum tamen pericula praecavere studet eo, quod organismum, qui evitari non potest, morbo eo tempore et sub ea rerum positione exponit, sub quibus morbi vehementia minor, organismi vero potentia ejusdem insidiis resistendi major est. Haec emolumenta non exigua insitio morborum nonnullorum artificialis praestat.

§. 55.

Saepe dispositio ad morbum partialis est, et ad organon unum vel alterum magis restricta, in quo ex organisationis quadam labe, vel ex processus vitalis intentione aut debilitate locali major pro potestatibus nocentibus receptivitas observatur: hoc in casu cura prophylactica in organon prae aliis dispositum convertenda est, ut organisationis integritas et actionis vitalis recta ratio in eodem restituantur. Plurimorum certe morborum, praecipue chronicorum, primus fomes in dispositione ejusmodi locali latet, quae maximam inde medici attentionem sibi deposcit.

§. 56.

Sat saepe non tam dispositio praevalens, quam potentia potius morbifica, quod morbum provocare minatur, momentum est; hic cura prophylactica in potentiam nocentem dirigenda erit, et ita instituenda, ut vis morbifica protinus deleatur, aut organismus ejusdem influxui subducatur, aut, quem jam in organismo produxerit effectum, in germine quasi suffocetur. Ad destruendam potentiam aliquam morbificam requiritur naturae illius et remediorum destruentium cognitio, sic e. g. effluvia animalia putrida typhi generationi adeo faventia, acidis mineralibus in vaporem expansis destruuntur. Ubi potentiae nocentis natura aut remedia illam destruentia cognita non sunt, non aliud superest morbum avertendi remedium tutum, quam causae morbificae fuga, aut prohibitus saltem illius ad organismum accessus, quod ut eo certius praestetur, necesse saepe erit, quo potentia nocens suscipitur, atrium novisse, ut illud praeprimis contra vim morbificam muniatur. Ubi vero potentia nocens organismum jam adgressa est, necesse erit, ut illico removeatur, et, quam forsitan produxit, mutatio morbosa illico iterum exstinguatur.

Sunt potentiae morbificae, quae in ipso organismo generatae sat diu in eodem subinde latent, priusquam vim suam infensam exerant; hae igitur quam primum deteguntur, ex organismo eliminandae sunt. Si vero inimica ejusmodi potentia organismum forinsecus irrepsit, primo illius rejectio procuranda est;

dein mutatio morbosa, quam jam prodaxit, quam citissime iterum sufflaminanda, priusquam per reliquum organismum diffundatur, s. e. g. virus hydrophobicum vulnere illatum omnibus, quae praesto sunt, remediis eluere, deinde mutationi morbosae, per illud excitatae, continuata longius suppuratione occurrere adnitimur e. s. p.

CAPUT SECUNDUM.

De cura radicali.

§. 57.

Cura radicalis, quae etiam causalis vel essentialis medicis dicitur, morbum praesentem totum tollere, et pristinam sanitatem atque corporis integritatem restituere nititur. — Ante omnia alia quaestio hic oritur, num morbi praesentis curam radicalem instituere liceat nec ne? sunt enim casus non adeo rari, in quibus morbi cujusdam sublatio radicalis non permittitur. Duplex praecipue conditio est, qua posita, non licet morbum aliquem radicitus tollere; a. non licet morbum sanare qui ad sanitatem individui relativam necessarius est: nam existunt morbi, quibus vigentibus dubia antea sanitatis conditio ad certum saltem gradum emendatur et malum praecavetur majus; quod observatur, si morbus quidam localis diatheseos universalis effectus est, et totam

morbi generalis vim in unum quasi focum contrahit: affectione hujusmodi locali praecocius sanata, morbus universalis saepe summo impetu et lethali nonnunquam prorumpit. Talem igitur adfectionem localem cura radicali adgredi non licet, nisi sublata prius aut saltem correcta diathesi universali; quod si vero non concessum fuerit, morbus localis naturae relinquendus, imo arte nonnunquam fovendus. Eadem valent de adfectione locali quae diu jam constans organismo in consuetudinem cessit, et cum reliquis functionibus adsociata est ita, ut illa sanata tota illarum series a norma recederet. Huc praeprimis referendae sunt adfectiones locales, quae novam in parte adfecta secretionem provocant, cui tandem secretiones reliquae ita adcommodantur, ut omnium concentus cum nova hac secretionem tantum persistat, et tollatur hac sublata. Nulla denique 6. cura radicali adgrediatur morbus in casu, in quo non alia est medendi ratio, nisi ex qua majus aegro periculum, quam ex ipso morbo immineret, vel si ad malum levius abigendum remediorum heroicorum requireretur usus.

§. 58.

Cura radicalis ceteroquin omnium princeps est, et ubicunque fieri potest, instituenda, in morbis quoque, qui hucusque insanabiles dicti sunt, iterum iterumque tentanda; cum non desint exempla malorum desperatorum, quae perfectam demum admiserunt sanationem. **Conditio enim morborum insanabilium, ut supra jam**

monitum fuit, non raro relativa est et decrescit eadem ratione, qua medicorum scientia et ars increscunt.

§. 59.

Omnis cura radicalis tribus innititur indicationibus, quarum

- 1^{ma} causas morbi remotas tollere,
- 2^{da} ipsum morbum, aut mutationem morbosam in organismo positam exstinguere, et
- 3^{ia} vitae et organismi integritatem restituere jubet.

§. 60.

Prima igitur medici intentio sub cura radicali in causas sic dictas remotas convertenda est, illaeque si adhuc adsunt et agere continuant abigendae. Dispositio ad morbum enim ejus est plerumque indolis, ut sub cura radicali tolli non possit, cum aut justo longiorem aut, quam morbus, aliam exposceret tractationem. Hinc primum medici studium in avertendas sic dictas causas occasionales seu potentias nocentes dirigendum; nec directa ipsius morbi curatio incipienda, nisi sublati istis causis morbificis organismum adhuc infestantibus. Haec potentiarum nocentium sublatio sola saepe totam curam radicalem absolvit, cum sublata causa remota ipsius etiam effectus, mutatio scilicet morbosa, non raro tollitur; quod quavis non semper contingat, et ablata potentia nocente ipse morbus tamen ulterius persistat, hic tamen et

uti vocatur, causa illius proxima longe facilius devincetur, superata prius causa remota. Quid, quod si liceret etiam affectionem morbosam remediis congruis directe tollere, haec tamen sanatio non satis tuta et constans esset, quousque organismus potentiae morbificae expositus maneret.

§. 61.

Causa morbi, quae remota dicitur, sublata, aut ubi haec devinci non potest, ad ipsam mutationem morbosam seu causam proximam accedimus. In quo opere ea ratione medico incedendum erit, ut morbum ipsum tractet secundum characterem suum, formam atque gradum; cum vero morbus ita saepe constitutus est, ut causa illius proxima adhuc lateat, vel quamvis cognita remediis tamen specificis careat, medico in casibus multis nihil aliud superest, ac morbi sanationem via indirecta ad regulas supra nominatas moliri.

§. 62.

Ast non solum morbum, sed et aegrum medicus tractandum habet; — morbus enim quilibet alius est in abstracto, alius in concreto: cum scilicet individuus morbus individuum quoque modificationem contrahat, cui cura radicalis adcommodanda erit. Sic morbus, quamvis ejusdem naturae, sedis, gradus, in diversis tamen, quoad aetatem, sexum, temperamen-

tum, hominibus diversam faciem induit, cujus cura radicalis rationem habeat, oportet.

§. 63.

Ad absolvendam morbi sanationem requiritur porro curam radicalem diversis morbi stadiis adaptare. Cum diversa morbi stadia in morbo plerumque nihil, nisi gradum et extensionem, mutant, haec quidem curae stadiis adaptatio regulae generali innititur, secundum quam gradus morbi ratio semper habenda est: nihilominus considerationem aliquomodo accuratiorem meretur. Prae ceteris animadvertendum erit, an morbus praesens quantocius tolli ejusque per certa stadia decursus interrumpi possit. Sunt enim morbi, quorum decursus ad certa stadia ita restringitur, ut nec ullum absque aegri damno turbari possit. Curae ceteroquin secundum singula stadia modificatio regulis sequentibus dirigitur:

1. sub prodromorum stadio cura prophylactica locum habet, sublatis causis remotis morbus adhuc penitus anteverti potest;
2. sub invasionis stadio eadem hinc inde morbi progerminantis suppressio conceditur;
3. sub incrementi stadio eadem ratione, qua morbus intenditur et extenditur, curae etiam molimina intendenda et multiplicanda erunt, in quorum tamen opere conaminis organismi ad sanationem spontaneam ratio semper diligentissime erit ae-

stimanda, et quousque vis naturae medicatrix constat, tanta artis solertia opus non erit;

4. sub morbi acme organismus artis auxilio quam maxime ut plurimum indiget, ne vinctas hosti manus tradere cogatur;
5. sub decrementi stadio rite semper aestimanda erit ratio, quae inter morbi decrementum et energiae vitalis incrementum interest, et huic adaptanda quoque, quae cura radicalis subministrat auxilia. Quodsi vis vitalis ejusque integritas eadem ratione increscunt, qua morbi vehementia decrescit, fortiora quoque artis remedia aequali proportionem paulatim subtrahi possunt; si minus ulteriore strenuo artis auxilio opus erit, ne aeger in superata vix morbi pericula relabatur. In genere quo magis sub morbi incremento artis subsidium urgebat, eo cautius et tardius a remediorum artificialium usu recedendum erit;
6. tandem hoc stadium, quod simul criticum est, eam curae modificationem impertit, ut medici attentionem in ipsius criseos indolem et modum trahat; sub hoc scilicet stadio illud maxime curandum est, ut crisis impedimenta removeantur, crises legitime adjuvantur, excedentes moderentur, et metastases praecaveantur.

§. 64.

Quousque eadem manet natura et forma morbi, cura etiam radicalis eidem medendi rationi insistit.

Verum vero non rarus est morborum metaschematismus, quo aut naturam aut formam aut utramque simul mutant. In hunc igitur medicus nunquam non attentus sit oportet, ut, quam primum morbus mutetur, alia etiam adhibeatur tractandi methodus.

Varia autem est hujus metaschematismi ratio, sub cura radicali bene respicienda. Quodsi morbus, pristinum characterem retinens, nihil nisi aliam formam induit, eadem medendi methodus ulterius quidem adhibetur, sed novae, qua se manifestat, formae adcommodanda; e. g. homo laborat feбри intermittente, characteris subinflammatorii, et si febris versatur in continuam, ejusdem characteris, eadem quoque maneat therapia. — Si morbus cum forma naturam simul aut characterem mutaverit, medendi rationi antea institutae non tantum alia, sed non raro penitus opposita substituenda erit. — Non raro etiam metastasis (adfectio morbosa ex alterius cujusdam organi functione aut adfectione morbosa sufflaminata oriunda) fit, quae si in aegri salutem cedit, quod contingit, si partis nobilioris loco alia minus nobilis adficitur, omni modo favenda atque sustinenda est; contrarium vero si accidit, adfectio nova, qua morbus considerata, omnibus, quibus ars pollet, remediis adgrediatur, eo praecipue cum conamine, ut passio in partem prius adfectam revoce-
tur, vel saltem alia illi analogă in parte minus nobili substituatur.

§. 65.

Cura radicalis tandem morborum compositionem, et complicationem respicere debet.

Compositus nominatur morbus, si eadem adfectio morbosa in eodem individuo in pluribus exsurgit locis, e. g. fractura femoris cum fractura ossis brachii, vel inflammatio pulmonum cum inflammatione faucium.

Complicatus autem dicitur, si duae aut plures adfectiones, diversae tamen naturae, in uno eodemque occurrunt individuo, e. g. otitis cum hernia.

§. 66.

Si plures diversi morbi eundem organismum eodem simul tempore invadunt, cura radicalis ita instituenda erit, ut aut omnes simul, aut alter post alterum tractentur. Cura ejusmodi composita, non raro ardua, hinc ratio diversa, quae inter morbos diversos interesse potest, omni ex parte aestimanda. Morbi enim, qui eodem tempore aegrum occupant, in nexu causali sunt ita, ut alter alterius effectum et fructum quasi exhibeat; in hoc casu cura radicalis in morbum primarium primo convertitur, quo sublato morbus inde generatus vel sponte evanescit, vel propriam curam facilius admittit; e. g. helminthiasis cum epilepsia symptomatice. Sed non raro morbus ex adfectionibus pluribus compositus obvenit, quarum quaelibet separata ab altera existit; hoc in casu singulae sua opponi debent remedia, quae morborum

compositio ejus saepe est conditionis, ut morbus quilibet singularis in suo systemate aut organo residens, cum altero eodem simul tempore tractari possit, cura nimirum ita instituta, ut remedia cuilibet systemati aut organo respondentia loco opportuno adplicentur, e. g. homo catarrho laborans suscipit contagium syphiliticum et scabiem. — Subinde morbi complicantur, qui diversam curam exigunt, et ubi remedia alteri, convenientia, alterius discrimina augent; hic utique cura difficilior, et tunc ejus tractamen prius suscipiendum, cujus pericula magis urgent, aut cujus praesentia remediorum alteri convenientium usui magis repugnat: ejusmodi discrimine plenam complicationem syphilis offert cum scorbuto.

§. 67.

Cura radicalis secundum omnes has regulas in morbum ipsum directa tollitur omnis morbus sanabilis; — ast sublato morbo organismi integritas non semper restituta est: quo diutius enim morbus constitit, et quo vehementior fuit, eo certius, quamvis superato morbo, major vel ad eundem, vel ad alium relinquuntur dispositio, actionis vitalis languor et quaedam organisationis labes; hinc cura radicalis nondum finita est, sed eo adhuc adniti debet, ut pristinus vitae vigor et organisationis integritas restituantur, atque haec sunt, in quibus versatur convalescentiae cura. — Ob hanc majorem ad morbum exantlatum aut alium dispositionem convalescens a potentiis

nocentibus omnibus, illis autem, quae praesenti dispositioni quam maxime respondent, praecipue defendatur, deinde, ut haec dispositio tractu temporis magis magisque deleatur, curetur; actio vitalis a morbo languida, habito semper ad morbi praegressi naturam respectu, in pristinum restituenda est vigorem: si vero debilitas a morbo graviore relicta fuit, remediis roborantibus et restaurantibus opus erit, quae tamen debilitatis et receptivitatis gradui adaptentur. — Non raro debilitas a morbo hypersthenico et inflammatorio superstes magis apparens est et cautiorem desiderat tractationem, nec roborantibus indiget. Organisatio per quemvis morbum graviorem substantiae organicae jacturam patitur, quae sub convalescentia reparanda est; quae materiae organicae restauratio a legitimo regimine diaetetico et nutrientium usu quam maxime dependet, quodque (regimen) ad regulas generales supra enumeratas instituendum erit. — Praeter curam in vitam et organisationem universam directam, systema etiam aut organon morbi vi potiori subjectum peculiarem sibi expostulat attentionem, ut ad normam suam reducatur, atque relicta in eodem dispositio penitus deleatur; quem in finem specifica hujus systematis aut organi ad res externas relatio ita disponenda erit, ut praevalens in illo debilitas aut sensilitas tollatur, ejusque cum reliquis organismi partibus harmonia restituatur.

CAPUT TERTIUM.*De cura palliativa.*

§. 68.

Cura palliativa s. symptomatica non ipsum morbum, sed illius tantum effectus s. symptomata graviora tollere nititur. Quamvis curae radicali postponenda, nihilominus frequens est illius in morbis usus. Adhibetur autem:

1. si causa morbum excitans et sustinens aut justo tempore aut penitus amoveri non potest, vel illius remotio remediis tantum assequenda esset periculum praesens adaugentibus, e. g. in mictu cruento a renum calculis;
2. si morbi natura non est cognita, aut
3. morbus penitus insanabilis vel lucusque saltem omni arti medicae ridet, e. g. in phthisi purulenta etc.;
4. in morbis symptomatibus molestis, dolorificis, vel in genere statum praesentem exacerbantibus concomitatis, e. g. in passionibus cum dolore aliquo nimio, cum pervigilio incedentibus; denique
5. in omnibus processibus morborum, in quibus symptomata quaedam nisi naturae medicatrici curae adhibendae impedimentum ponunt.

§. 69.

Magna hujus curae utilitas ex eo quoque intelligitur, quod radicalis sat saepe, quem desiderat, scopum haud adsequi posset, nisi ab ista debite adjuta fuerit, et si una cum symptomatum mitigatione et remotione saepe et totus non subigatur morbus, multo minor aegrorum numerus adhuc salvaretur. Sed et haec cura rationem qua ducem sequi debet, et quamvis in symptomata tantum et morbi effectus sit directa, in omni tamen casu ex perfecta symptomatum cognitione, quoad causas illorum remotas, sedem, extensionis et intensiōis gradum, nec non ex clara in organismo adhuc vigentis artis medicatricis dijudicatione procedere debet.

CAPUT QUARTUM.

Dē cura vitali.

§. 70.

Cura vitalis neglectis omnibus aliis vitam periclitantem quocunque remedio conservare studet. Adhibenda est:

1. si morbus totus ad tantam mox vehementiam intenditur, ut praeceps vitae periculum minetur, e. g. in apoplexia, tetano etc.;
2. si morbo non adeo periculoso symptoma accedit vitae insidias struens, e. g. sub insulto hysterico haemorrhagia profusa; denique

3. si contra morbum per se insanabilem nihil aliud suscipi potest, ut in ultimo hecticorum stadio.

§. 71.

In casu primo, ubi totus morbus ceteroquin cognitus ad periculosam brevi vehementiam intenditur, non alia nisi cura radicalis adplicanda sed magis acceleranda et ita mox intendenda est, ut morbi gradui statim conveniat.

In altero casu symptoma vitae periculum minans remediis opportunis compescendum est.

In tertio, in quo curam radicalem non admittit morbus, vita conservanda est moderamine vitae plasticæ et animalis eo, ut longiori vitae particularis conservationi faveant. —

In casu dubio cura hæc vitalis omnibus aliis præferenda est, præ reliquis enim subjecti curandi existentia est servanda; ubicunque tamen periculum vitae anceps illud permittit, cura vitalis curæ radicalis legibus subordinari debet.

Pars specialis.

SECTIO PRIMA.

De medendi methodo et ejusdem speciebus.

§. 72.

Aegri curam ita semper instituat medicus, ut, priusquam aliquid in morbum agat, universae curae operationes secundum ideam aliquam supremam disponat atque ordinat. Rationalis remediorum, omnibus curae indicationibus respondentium, dispositio et applicatio medendi methodus vocatur.

§. 73.

Methodice igitur non curat morbum, nisi, qui omnia curae molimina ex idea morbi, ejusque ad organismum adfectum et naturam externam rationum, qua summo principio, deducit et ita simul disponit, ut cuncta cum eadem idea organice et systematice cohaereant. — Qui non ipsum morbum, sed illius

phaenomena distinguens eundem remediis adgreditur ex observatione vaga collectis, non methodice, sed (ruditer) empirice tractat morbum.

§. 74.

Morbi igitur cognitio et perspectae illius rationes ad organismum adfectum, nec non ad externam rerum naturam omnis medendi methodi verum sistunt fundamentum: ex hac enim cognitione medicus simul intelligit, ad quem gradum morbus sanabilis sit, inde suam deducit indicationem, perspicit remedia indicata, et, qua adplicanda sunt, simul rationem, ut indicationi satisfaciant.

§. 75.

Omnis igitur medendi methodus tria sibi essentialia requirit: *a.* indicationem, *b.* indicata, et tandem *c.* modum indicata ex indicatione rite adhibendi.

§. 76.

Indicatio repetitur, ut antea jam monuimus, ex cognitione morbi et ex perspectis illius ad organismum aegrum et naturam externam rationibus: fontes itaque indicationum erunt: 1. morbi character, forma, sedes, gradus, complicatio et compositio; 2. particularis et individua ipsius aegri constitutio, aetas, sexus, temperamentum, organisationis conditio,

vitae genus etc.; 3. momenta morbi causalia, quatenus ipsa adhuc removenda sunt, aut ad illustrandum morbum contribuunt; 4. effectus tandem eorum, quae hucusque consulto aut casu fortuito adplicata sunt, ut igitur secundum veterum sententiam ex juvantibus et nocentibus etiam petatur indicatio.

§. 77.

Indicata ex apparatu remediorum pharmaceuticorum, diaeteticorum et chirurgicorum depromuntur, quorum rationes et differentias supra exposuimus.

§. 78.

Adplicatio indicatorum eum in modum instituenda erit, ut morbo, aegro et ipsis, quae adhibentur, remediis conveniant, utque momentorum, quae forsitan adsunt, contraindicatorum ratio habeatur.

§. 79.

Methodi medendi sub vario dividuntur respectu. Sic medici practici inter activam et expectativam medendi methodum distinguunt, prouti sanationis processus per artis remedia ex consilio et solertia adhibita inducitur, aut morbus vi naturae medicatrici maxima ex parte superandus relinquitur.

§. 80.

Sunt porro methodi medendi generales et speciales. Generales, quae generalibus morborum diathesibus opponuntur; speciales, quae in singulas morborum formas diriguntur, quarum istae ad therapiae generalis, hae ad specialis forum pertinent.

§. 81.

Pro diversitate rationum organismi, quas ex consilio mutare adnitimur, ipsa medendi methodus vel dynamica, vel mechanica esse potest. Medendi methodus dynamica in psychicam porro et somaticam discernitur, quarum ista mentis operationes ad finem medicum moderare et regere studet, haec vitam organismi somaticam ex indicatione mutare adnititur.

§. 82.

Nostri est medendi methodos dynamicas generales et somaticas quidem pertractare, quas in eum hic ordinem disponemus, qui ex principiis pathologicis nostris deductus, cum, quam in pharmacologia sequuti sumus, divisione concordat. — Omnes igitur medendi methodos in hac therapia pertractandas in duas separamus classes, quarum prima methodos medendi continet morbis vitae plasticae opponendas; alter eas amplectitur, quae in vitam animale potissimum diriguntur.

§. 83.

Classis I.

Vitae plasticae,

Ordo primus.

Vitam plasticam moderantia.

(Genus I. Evacuantia, hujus species:

IA. Sanguinem evacuantia.

IB. Emetica.

(C. Purgantia (per alvum evacu-
antia).

ID. Diuretica.

IE. Diaphoretica.

(Genus II. Solventia.

Ordo secundus.

Vitam plasticam extollentia,

(Genus I. Plastica.

(Genus II. Roborantia.

Classis II.

Vitae animali adsignata.

Ordo primus.

Stimulantia.

(Genus I. Stimulantia pro vita
sensifera, vulgo: vo-
latilia.(Genus II. Stimulantia pro vita
irritabili, vulgo: per-
manentia.

Ordo secundus.

Sedantia.

(Genus I. Sedantia pro vita sen-
sifera — Narcotica.(Genus II. Sedantia pro vita ir-
ritabili — Antiphlo-
gistica.

CAPUT PRIMUM.

De methodo evacuante.

§. 84.

Quae excretionem suppressam restituit, minutam
aunget, aut novam plane et inconsuetam excitat me-
thodus, evacuans dicitur. Quem medicus institu-
tis evacuationibus adsequi studet, finis, varius est:

HARTMANNI Therapia generalis.

vel enim agitur de materiis inutilium eliminatione; vel materias alias non excernendas evacuare conducit, vel excretio intenditur non ob humorum jacturam, sed, ut reactio vitalis in excretionis organo potius incitetur. Ex his simul colliguntur casus, in quibus methodus evacuans indicatur; indigemus scilicet hac methodo 1. in omni casu, ubi materia excernenda in corpore vivo retinetur, quam excretionibus consuetis vel plane non, vel nec recto tempore, nec debita copia eliminant, sive materia ista peregrina sit et forinsecus organismo illata, sive in eodem generata; 2. ubi adest materiae organicae abundantia et procedens inde reactionis vitalis excessus, quem remediis aliis sat cito compescere non possimus; 3. utilis saepe est methodus evacuans in illis casibus, ubi reactio vitalis in organis excernentibus languet; 4. tandem ubi per auctam in organo excernente actionem functionum mutationem consensualem aut antagonisticam in alio quodam provocare volumus.

A. Methodus sanguinem evacuans.

§. 85.

Sanguinis ad certam quantitatem evacuatio artis ope instituta non tantum organismi et vitae pabulum diminuit, verum etiam ipsius vitae partem subtrahit, et efficacissimum inde remedium praebet, non ad solius reproductionis, sed etiam vitae nimium impetum

compescendum. — Hic tamen effectus magnopere differt, pro vario modo, quo sanguinis subtractio instituitur, et pro varia quantitate, ad quam sanguis singula vice subducitur.

§. 86.

Dividunt sanguinis evacuationem in generalem et partialem. Generalis dicitur, quae fit vulnerato vase sanguifero majore, et cujus effectus per totum illico systema vasorum diffunditur; partialis, si vasa partis cujusdam minora deplentur, et si in ipsam hanc partem praecipuus subtractionis effectus dirigitur, quin tamen negetur et reliquum systema vasorum aliquem inde effectum experiri.

§. 87.

Quae utplurimum venaesectione fit, evacuatio sanguinis generalis indicatur:

1. In morbis cum luxuriante vita plastica, praecipuis in systemate vasorum sanguiferorum; qui igitur aut cum plethora incedunt, aut ex eadem originem suam repetunt. Venaesectio ceteroquin plethoram pro tempore quidem tollit, attamen sola illius creditum non impedit; quid quod dispositionem ad sanguinis abundantiam potius auget et venaesectionis frequentius repetendae necessitatem inducit, nisi aegri vitae ratio ita simul disponatur, ut nimia sanguinis reproductio praecaveatur.

2. In omnibus morbis, qui statui vitae hypersthenico innituntur, sive cum plethora conjuncti sint, sive non; quod praecipue de morbis inflammatoriis valet.

3. In morbis a violenta sanguinis impetu ad organa nobiliora, in inflammationibus haemorrhagiis et aliis inde natis turbis, si remedia mitiora ad impetum illum compescendum non sufficiunt.

§. 88.

In instituenda venaesectione tria praecipua momenta definienda erunt:

1. quantitas sanguinis emittendi; 2. locus; et 3. tempus adplicationis.

1. Sanguinis detrahendi quantitas semper morbi characteri, gradui, organi adfecti dignitati, aegri constitutioni, aetati, temperamento, et regnanti simul epidemicae constitutioni adcommodanda erit. — Aestimatur ceteroquin sanguinis evacuandi quantitas per venae, quae secatur, magnitudinem, per celeritatem et, quo e vulnere erumpit, impetu, per ipsam denique sanguinis effluentis copiam. Certa sanguinis quantitas e vena majore, vulnere amplo cum pleno rivo et impetu erumpens, effectum multo majorem in totum vasorum systema exserit, quam major sanguinis moles e vase minore, vulnere angusto lente effluens. Singula venaesectione sanguinis portio emittenda multo melius effectum determinatur, quam pondere; hinc praestat, ut medicus ipsi operationi ad-

sit, et, quas sanguinis jactura in pulsu et reliquis morbi phaenomenis effecit, mutationibus ductus, sanguinis evacuandi quantitatem determinet.

§. 89.

2. Ubi venaesectione instituat, locus ita eligendus est, ut in generali reactionis vitalis excessu cordi, in locali autem visceris cujusdam adfectione parti adfectae proximus sit. In illis tamen casibus, ubi sanguinis a parte adfecta revulsionem, ejusque ad alias partes derivationem, quamvis temporariam, intendimus, juvat etiam venaesectionem instituere in loco ab organo adfecto remoto.

3. Temporis respectu eo majorem semper effectum praestat venaesectione, quo proprius ad morbi initium instituitur, quin tamen inde prohibeatur, hocce remedium indicatum et necessarium sub provento etiam morbo adhibere.

§. 90.

Localem sanguinis depletionem jubent status vitae hypersthenicus ad organon aliquod magis restrictus, plethora, inflammatio localis e. s. p.; attamen et hic ubique ad diathesim morbosam universalem respiciendum erit. Ubi e. g. cum inflammatione aut congestione locali reactio simul hypersthenica aut inflammatoria generalis adest, generalis quoque sanguinis detractio partiali praemittenda erit; hac enim negle-

eta localis sanguinis depletio tantum abest, ut juvet, potius nocet, cum incitatus reliqui vasorum systematis motus sanguinem in depleta partis adfectae vasa novo urget impetu, atque hac ratione congestionem et inflammationem localem necessario intendit. Ubi reactio hypersthenica generalis deest, aut saltem non tanta adest, quae depletionem sanguinis generalem postulat, hac omissa ad partialem rite indicatam statim accedimus.

Si cum inflammatione aut congestionem sanguinis partiali debilitas vitalis universalis simul adest, huius gradus rite aestimandus erit, ut inde detractio sanguinis partialis utilitas aut necessitas dijudicetur; altior debilitatis universalis gradus, praecipue status colliquativus, omnem sanguinis jacturam vetat; in minori autem debilitatis universalis gradu adfectio localis ita saepe constituta est, ut nonnisi liberatis vasis sanguine turgidis mali mitigatio obtineatur. Est etiam ubi partialis sanguinis detractio eo fine suscipitur, ut excretionem sanguinis naturalem suppleat, aut illam saltem, quae organismo in consuetudinem jam cessit, si ex illius suppressione morbus aliquis gravior exortus fuisset. —

Remedia ceteroquin, quibus sanguinis depletio instituitur, et modus diversus, quo adplicantur, ad pharmacologiae forum pertinent.

B. Methodus emetica.

§. 91.

Quae certis morbis medetur aut praecavet eo, quod per remedia opportuna vomitum efficit, methodus, emetica vocatur.

Ut quid haec methodus conducere et nocere possit rite intelligatur, quos remedium emeticum exserit, effectus probe aestimandi sunt. Emeticum ventriculo ingestum stimulo, quo agit, fortiori secretionem succi gastrici et muci adauget, nervis ventriculi sensationem ingratissimam sive nauseam imprimit, fibras ejusdem musculares convellit, unde violens ventriculi contractio cum motus peristaltici inversione exoritur; huic accedit fortis simul ejusdem visceris compressio per diaphragma et musculos abdominales in similem motum convulsivum concitatos. Per hanc ventriculi contractionem et compressionem fortiorem, ea, quae in eodem continentur, cum impetu per oesophagum, fauces, os foras aguntur; magna haec ventriculi irritatio per membranas et systema nervorum gangliosum ad reliqua viscera abdominalia, pectoralia, cutem externam, vasa lymphatica et venosa et reliqua organa se- et excernentia propagatur, cum eodem simul tempore systema cerebrale effectum magis antagonisticum experitur.

§. 92.

Magna itaque est emeticorum virtus et late extensus eorum effectus; unde morbi simul intelliguntur, qui a methodo emetica auxilium expectant. Indicatur scilicet hujus methodi usus.

1. In omni casu, ubi materies quaedam nociva e ventriculo via brevissima eliminanda est.

2. Ubi secretio totius membranae mucosae et villosae tubum alimentarem obducentis, secretio salivae, succi gastrici, enterici, muci promovenda est.

3. Ubi bilis et succi pancreatici secretioni, et horum humorum in intestinum efluxui impulsus aliquis addendus est.

4. Ubi ventriculi, intestini, hepatis, lienis, vasorum abdominalium, organorum respirationis reactio alacrior sollicitanda est.

5. Ubi resorptio per vasa lymphatica et reductio humorum per venas impellendae.

6. In omnibus morbis, in quibus systematis gangliorum excitatio aut antagonistica cerebri adfectio requiritur.

§. 93.

Emetica organismum vivum violenter adficiunt, quare in eorum usu prudentia et circumspectione opus erit, ne forsitan noxios producant effectus; qui, ut vitentur, casus sollicite distinguendi sunt, et conditiones, quibus positus emeticorum usus prohibetur. Ve-

tant igitur praeprimis emetici subministratorem:

1. Corpus sanguine turgidum, ad apoplexiam praeparatum, synocha, inflammatione visceris cujusdam adfectum.

2. Major corporis imbecillitas vitalis, humorum penuria, morbus adynamicus gravior, nervosus, putridus, cachecticus.

3. Habitus corporis nimis tener, haemoptisi obnoxius, ad phthisim pulmonalem praeparatus.

4. Graviditas cum majori ad haemorrhagiam uteri et abortum inclinatione.

5. Vitia organica diversa: hernia, prolapsus, vomicae, aneurisma, varices, viscera obstructa, indurata, scirrhus inquinata.

6. Nimia ventriculi sensilitas, cardialgiae, gastritidis periculum, aut singularis vomendi impotentia; pertinax alvi obstructio et diarrhoea.

§. 94.

Ubi remedia praesto sunt, quibus haec momenta contraindiantia tolli aut moderari possunt, in his remediis praemittendis prima medici opera versabitur. Quodsi unicum pro morbo graviori auxilium in emesi positum esset: contraindantium ratio alia habenda non esset, nisi, ut emeticum eo cautius adhiberetur.

§. 95.

Provocatur vomitus per remedia, quae ventriculo stimulum fortiorem et nauseosum addunt, praeparata

stibii; prae reliquis tartarus emeticus et ipecacuanhae radix effectu suo certiori praestant, quibus asarum europaeum proxime accedit; ubi periculum in mora est, et cita requiritur emesis, sulfas cupri et zinci subinde in auxilium vocantur. Hinc inde vomitus per irritationem sympathicam excitatur, sic vertigo, odor nauseosus, faucium irritatio mechanica vomitum provocare valent. Inter haec remedia ultimo nominata mechanica faucium irritatio emeticum tutissimum est, quod sub certa rerum positione emetico idiopathico praeferri meretur.

§. 96.

Priusquam emeticum subministretur, praeparatione subinde opus est; haec praeparatio frequentius materiam evacuandam concernit, quae fluidior et mobilior reddenda est, id quod remedia solventia, secretionem gastricam leniter excitantia praebent. Si pertinacior alvi obstructio adesset, ea prius solvenda erit, quam emeticum propinatur, ne motu intestinorum inverso ileus oriatur; diarrhoea praesens remediis opportunis compescenda est; status quilibet morbosus alius, qui emetici effectum impedire, aut qui ipsa emesi exasperari potest, v. g. diathesis hypersthenica, plethora, spasmi etc., remediis congruis tollendus erit.

§. 97.

Emeticum ipsum nunc unica eaque plena dosi, nunc dosibus divisis et repetitis exhibetur: tota eme-

tici dosis una vice porrecta effectum citiorem, certio-
riorem, nec non majorem praestat; hinc ubi vomendi
necessitas urget, nec vomitus quidquam fortior peri-
culum infert, dosis integra una vice assumenda prae-
fertur; ubi vero periculum in mora non est, et vo-
mitus fortior aegrum male adficeret, praestat emeti-
cum dosibus divisis exhibere, quibus illius effectum
certius reddere, ejusque excessui occurrere possu-
mus. Emetici ceteroquin dosis ipsi medicamento vir-
tuti et aegri constitutioni ac receptivitati adaptanda
esset primo.

§. 98.

Porrecto emetico, illius effectus adjuvandus est,
quod fit per aquam frigidam, quam vomiturus su-
perbibit, vel per infusum aliquod theatum, ita ta-
men constitutum, ut nauseam sustineat, e. g. infu-
sum florum chamom. tenue. Illico post assumptum eme-
ticum superbibere prohibeatur, ne emeticum fluido
nimis dilutum, aut tardius agat, aut in intestina ab-
lutum in remedium purgans convertatur. Melius est
sub singulo molimine ad vomitum modicam fluidi te-
pidi, attamen non grati quantitatem assumere. Re-
frigerium ceteroquin et aestum majorem vitet aeger,
si vires concedunt, stans aut ita sedens, ut pedes
pendeant, antrorsum inclinato capite vomitum absol-
vat, hernia forsan praesente fascia aut manibus mu-
nita. — Quodsi vomitus excedit, ad mucilaginosam,
aromaticam leniorem, spirituosa grata vel et opiata re-

currendum est. Emulsum amygdalinum, mucilagines, aquae menthae, cinnamomi, spirit. aeth. sulf. aut nitrici, vinum generosum, modica portione assumtum, gas carbonicum, opium interne; fomentationes aromaticae, vinosae externe ad ventriculi regionem adhibita e. s. huic indicationi satisfaciunt.

C. Methodus per alvum evacuens.

§. 99.

Methodus per alvum evacuens saepe nihil aliud molitur, quam retardatam alvi excretionem adjuvare et faeces collectas eliminare; non raro autem eo tendit, ut excretionem alvinam ultra normam augeat, eamque non solum frequentiore, sed etiam liquidior reddat: quo in casu methodus purgans dicitur. — Huic nunc methodo in sequentibus locis erit casibus:

1. Si faeces alvinae diutius et majori copia retinentur.

2. Si materiae peregrinae nocivae, vel producta morbosa in canali intestinali haerent, ut reliquiae nutrimentorum indigestae, substantiae inimicae forinsecus illatae, aut in ipso organismo generatae, venena, vermes, calculi, sanguis, pus, bilis, succus pancreaticus, entericus, mucus corrupti etc.

3. Si humorum ad tubum intestinalem confluentium secretio incitanda est.

4. Ubi humores plastici detrahendi, et hac detractioe materiæ organicarum abundantia aut reactionis vitalis excessus moderandi sunt.

5. Ubi motui intestinorum peristaltico impulsus novus addendus est, aut per nervorum intestinalium irritationem in aliis organismi partibus mutationes salubres, sive per consensum, sive per antagonismum, provocandæ sunt.

§. 100.

Interdicitur methodi purgantis applicatio in omni casu, ubi major dispositio ad diarrhoeam adest; ubi tubi intestinalis sensibilitas et irritabilitas ad summum elatae sunt (inflammatione canalæ intestinalis vigente); ubi humorum penuria et major totius organismi imbecillitas adsunt; ubi status colliquativus imminet, vel jam evolutus est; — nihil ceteroquin digestionem magis impedire, et omnia abdominis viscera debilitare potest, quam usus purgantium longius protractus et saepius repetitus.

§. 101.

Ut excretio alvina frequentior et simul liquidior reddatur, necesse est, primo secretionem humorum ad tubum intestinalem confluentium, uti muci, succi enterici, pancreatici, bilis augere, dein motum peristalticum incitare. Duplicem hunc effectum præstant remedia canalem intestinalem specificè adficien-

tia, olea unguinosa: oleum ricini, amygdalarum, olivarum; substantiae muco-saccharinae et acidulo-dulces: manna, mel, tamarindi, pulpa cassiae, prunorum; sales neutri et medii: magnesia, cremor tart., sal polichrestus, kali sulfuricum, mercurius dulcis; substantiae vegetabiles resinosae: radix rhei, folia sennae, aloë, radix jalappae, gratiola, gummi gutta, scammonium etc.

§. 102.

Bene tamen notandum est, non eandem esse omnibus his purgantibus agendi rationem, sed magnam potius in hac ipsa differentiam, ita quidem, ut sint purgantia antiphlogistica et phlogistica. Purgantia antiphlogistica secretiones abdominales et motum intestinorum peristalticum modo mitiori et stimulo magis negativo augent, systematis vasorum reactionem vitalem eodem simul tempore moderantia: hoc effectu distinguuntur olea unguinosa recenter pressa, substantiae dulces et acidulo-dulces, nec non sales. Purgantia phlogistica seu calefacientia stimulo fortiori et positivo intestina laccessunt, eamque irritationem per totum systema vasorum extendunt; hic est purgantium resinosorum effectus, qui iterum gradu differt, ita quidem, ut sint, quae stimulum medio-crem addunt, quem et sensibiliores ferunt, et alia, quae, intestina vehementius adgredientia, tormina, evacuationes profusas et sub incauto usu ipsam intestinorum inflammationem causant. Inter ista rheum emi-

net; haec drastica sunt, inter quae radix jalappae frequentius adhibetur.

§. 103.

Ex diversa hac agendi ratione, qua purgantia distinguuntur, sequentes simul regulae procedunt, quibus eorum applicatio subjienda erit:

a. In omni casu, ubi intestinorum sensibilitas ad summum elata est, v. g. in eorum inflammatione, non alia purgantia adhibenda sunt, quam, quae cum stimulo vix ullo agunt; et haec sunt sola olea pingua recentia. *b.* In morbis, in quibus reactio vitalis in systemate vasorum exsuperat, ita quidem, ut stimulum quemlibet novum recuset, in quibus ceteroquin intestinorum sensibilitas et irritabilitas modum non excedunt, reliquis purgantibus antiphlogisticis, praeprimis mitioribus et eccoproticis, locus erit. *c.* Si sub debilitate universali aut partiali ad viscera abdominalia restricta purgante opus est remedio, hoc ex mitius irritantibus, debilitatem non augmentibus eligendum et omnibus rheum praeferendum erit. Intestinorum inertia folia sennae, vel et rad. jalappae exigere potest, reliqua vero drastica nonnisi in casu, ubi nec ullum remedium mitius sufficit, nec aliis aegris, quam, qui constitutione fortiori et sensilitate minore instructi sunt, exhibere licet.

§. 104.

Remediorum purgantium usui praeparatio hinc inde praemittenda est, quae in eo consistit, ut pri-

mo obstacula, quae liberam per canalem intestinalem viam forsitan intercludunt, removeantur; si igitur corpus aliquod peregrinum in intestino recto haereret, si idem intestinum tumoribus haemorrhoidalibus obsessum esset, si intestini pars in hernia intercepta comprimeretur, haec et alia ante purgantium usu tollenda erunt. Deinde evacuatio alvina rite non procedit, nisi intestinorum contenta ad certum usque gradum liquida sint, quare si ea, quae intestina molestant, nimis tenacia aut compacta essent, antea fluidiora et molliora reddenda erunt. Hoc autem fit per remedia, quae secretiones intestinorum et viscerum cum illis proxime nexorum impellunt, nec non per ea, quae effectum solventem in ipsa intestinorum contenta exserunt. Sunt medicamenta, quae utrumque effectum simul praestant, v. g. salina, saponacea, praeparata stibii refracta dosi adplicata.

§. 105.

Duplex est remedia per alvum evacuantia adplicandi modus, cum per os ingeri, et per anum clysteris ope injici possunt. Ubi purgantium effectus desideratur per totum canalem intestinalem propagandus, eorum per os assumptio praeferenda est; ubi vero sola intestinorum crassorum elutio exigitur, clysteris adplicatio sufficit, cui (clysteri) locus etiam erit, ubi remedii purgantis ceteroquin indicati per os adplicatio prohibetur, e. g. sub ventriculi aut intestinorum tenuium inflammatione. Quodsi purgan-

tium per os assumptorum effectus tardius, quam desideratur, succedit, uterque adplicandi modus in auxilium vocatur.

§. 106.

Sub remediorum purgantium usu omnia removenda sunt, quae salubrem eorum effectum impedire aut turbare, et omnia subministranda, quae eundem immoderate promovere possunt. Vitandum igitur est refrigerium, arcendi animi affectus graviores, interdicens praeterea nutrimentorum digestu difficilium aut justo magis stimulantium usus. Si excretio remedio purgante excitata limites forsitan excederet, cavendum est, ne remediis stimulantibus, narcoticis, adstringentibus praecocius supprimantur, cum graviora inde mala nonnunquam oriuntur. Illi, qui purgatur, conducit temperatura moderata, victus tenuis, potus aquosus tepidus, et si purgatio quidquam fortior evadit, mucilaginosa, corporis praeterea quies.

D. Methodus diuretica.

§. 107.

Methodi diureticae finis ille est, ut urinae secretio excretio promoveatur. Indiget medicus hac methodo:

1. Ubi major materiæ per vias urinales eliminandarum: aquæ, salium, materiæ urinalis, copia aut intra systematis sanguiferi limites, aut extra hos in contextu celluloso et cavis colligitur: v. g. in hydrope.

2. Ubi secretio serosa altera suppressa per alteram vicariam supplenda est, vel et altera modum excedens per adauctam alteram moderanda.

3. In morbo organorum urinalium adfectionibus, quæ idiopathicam sibi excitationem requirunt.

§. 108.

Contraindicatur hæc methodus.

1. Ubi urina jam large fluit;

2. ubi morbus in corporis resolutionem et evacuationes profusas nititur;

3. ubi crises salutes per alias vias imminet, aut etiam

4. ubi organa urinalia stimuli impatientia laborant.

§. 109.

Methodi diureticæ negotia sequentia sunt: *a.* ut organa urinae secretioni et excretioni præposita ad functionem suam disponantur; quare si quod adest in his organis vitium, cujuscunque generis, hoc omnium primo remediis opportunis amovendum erit: hinc renum, uretherum, vesicae, urethrae inflammatio, debilitas, spasmus, obstructio, compressio etc., prius tollenda erunt; — *b.* materia per urinam excernen-

da ad se- et excretionem praeparanda est, nihil enim per urinam excerni potest, nisi in fluido aquoso antea solutum: hinc curandum erit, ut organismo debita fluidi quantitas subministretur, et simul, ne in vaporem extensum per transpirationem cutaneam, per expirationem pulmonalem iterum dissipetur, unde potus tenuioris et regiminis patet subfrigidi necessitas; — *c.* urinae fluxus non augebitur, nisi aliis secretionibus serosis forsitan excedentibus antea moderatis: hac de causa diarrhoea, aut sudor, qui forsitan adsunt, compescendi erunt; *d.* non raro materiae per urinam excernendae copia quidem sat magna paratur, sed in cava corporis et contextum cellulosum secreta inde non resorbetur: in hoc casu resorptio prae ceteris incitanda erit, id quod remedia contextum cellulosum et vasa lymphatica specificè stimulantia praestant; — *e.* praemissis autem illis, quae praemittenda sunt, superest adhuc sanguinis ad renes adfluxum et horum simul nisum secernentem augere: quod fit remediis renes stimulo specifico aut idiopathico aut sympathico adficientibus.

§. 110.

Remedia resorptionem adjuvantia et vitalem renum reactionem sollicitantia ea sunt, quae a medicis practicis diuretica dicuntur remedia, et huc pertinent: radix scillae marinae, colchici autumnalis, coninis spinosae, herba digitalis purpureae, sales refracta dosi adhibiti, alcalia fixa, acida mitiora,

aquae minerales salinae, baccac juniperi, balsama nativa, spiritus aetherei etc. Haec tamen diuretica effectum expectatum non primis semper diebus, sed post continuatum longius usum praestant, unde sequitur, in eorum usu rite indicato constantia opus esse.

E. Methodus diaphoretica et sudorifera.

§. 111.

Methodus diaphoretica et sudorifera non nisi gradu differunt, ita, ut ista gradu aucta in hanc convertatur. Methodus diaphoretica transpirationem cutaneam vaporosam aut suppressam restituit, aut jam vigentem promovet; methodus sudorifera transpirationem ad eum intendit gradum, ut sub liquidi forma large per cutim fluat.

§. 112.

Indicatur haec methodus:

1. In morbis cutaneis, qui cum vitae languore in ipsa cute et illius transpiratione imminuta incedunt.

2. In morbosa secretionum et excretionum aliarum diminutione aut suppressione, si illarum locus per auctam transpirationem cutaneam suppleri, aut

ubi aliarum se- et excretionum excessus per transpirationis augmentum limitari potest.

3. In morbis, qui vel a materia excernenda ultra modum aucta et in corpore retenta oriuntur, vel ubi morbi ipsi majorem hujus materiae molem generant, si nimirum haec materia ita constituta est, ut per transpirationem eliminari possit.

4. Et cum minori certitudine methodus diaphoretica a medicis practicis in morbis ad gradum minorem hypersthenicis adhibentur.

§. 113.

Prohibita est methodus diaphoretica, praeprimis sudorifera, in omnibus morbis, qui cum debilitate vitali majori, cum materiae organicae penuria, vel cum nisu in statum colliquativum conjuncti sunt; porro in morbis hypersthenicis et inflammatoriis ad altiore jam gradum intensis, ut qui per remedia diaphoretica, praecipue si ex stimulantium adparatu repetuntur (id quod plurimis practicis solenne est), nonnisi exasperare possunt.

§. 114.

Ad promovendam diaphoresim omnium primo, ut impedimenta hujus functionis removeantur, necesse est. In hunc finem cutis munditiem per lotionem et balnea restituere, frigus externum arcere, spasmodicam cutis constrictionem solvere, excretiones alias

excedentes moderare, et quamcunque aliam transpirationis imminutae aut suppressae causam tollere oportet. His praestitis ad remediorum diaphoreticorum vulgo sic dictorum usum accedimus, ad quorum titulum sequentia referuntur: *a.* quae seri copiam in sanguine augment; *b.* quae seri in vaporem expansionem promovent, id quod prae omnibus major caloris gradus praestat, quare calor princeps remedium diaphoreticum, quod vario modo, potu, balneis, vestimentis, integumentis, medicamentis calefacientibus etc., applicatur; *c.* quae sanguinis congestionem in vasa cutanea efficiunt: huc pertinent remedia omnia, quae vasorum cutaneorum capacitatem pro sanguine augment, et ipsa haec vasa stimulo magis specifico aut indiopathico aut sympathico adficiunt. Ut sanguis eo certius ad cutem alliciatur subinde illius ad alia organa congestionem moderare oportet. Remedia, quae reactionem vitalem in cute sollicitant et sanguinis ad ejusdem vasa adfluxum augment, vel talia sunt, quae cuti directe adplicantur, uti calor atmosphaericus major, balnea calida, frictiones, integumenta calorem animale aegris conservantia, medicamentorum stimulantium localis in cutem adplicatio; rubefacientia, linimenta et similia, vel talia, quae ad interiora recepta singularem in cutis organon effectum excitantem exserunt; huc pertinent sambucina, acetas ammoniacae solutus, sulfur, praeparata stibii, uti tartarus emeticus refracta dosi adhibitus, sulfur auratum antimonii, kermes minerale, antimonium crudum; stimulantia summe volatilia, e. g. camphora, moschus e. a.

Nonnulla eundem effectum modo magis sympathico producunt, uti emetica, sive plena, sive refracta dosi propinata; narcotica; opium, pulvis Doweri etc. Haec remedia a medicis practicis diaphoreticorum nomine distinguuntur; iterum iterumque tamen notandum est, remedia diversissima diaphoretica fieri posse, dum statum morbosum tollunt, quo diaphoresis retinetur.

CAPUT SECUNDUM.

De methodo solvente.

§. 115.

Sunt vegetationis morbi ita constituti, ut producta vitae plasticæ majorem offerant in cohaesionem nisum, unde humorum spissitudo aut densitas, solidorum rigiditas, vasorum obstructio, organorum induratio nascuntur: quæ his morbis renititur, et vitam plasticam ita disponit, ut substantiarum organicarum nimius in cohaesionem nisus moderetur, mendi methodus, solvens dicitur.

§. 116.

Ut methodi solventis ratio et remediorum solventium agendi modus eo melius intelligantur, ad conditiones animadvertere oportet, a quibus solutionis processus sub secunda etiam valetudine dependet. So-

lutio nimirum materiaram organicarum, ipsius vitae, quo vita ad solvendum utitur, opus et remedium, ea est chemica mutatio, qua praevalens in substantiis organicis oxydatio inducitur. Si igitur arte materiae organicae nimis plasticae aut solidae resolutionem promovere molimur, duplici hoc ratione adsequemur: vel eo, quod processum vitalem intendimus, ut inde aucta materiae organicae resolutio procedat, vel eo, quod, quae cum ipsa materia organica processum chemicum ingredientia, nimiam ejusdem cohaesionem directe minuunt medicamina, adplicamus.

§. 117.

Primus igitur solvendi modus is est, quo processum vitalem ita intendimus, ut factor illius expansivus praevaleat, cujus ope indirectam substantiarum organicarum resolutionem obtinemus. Methodus stimulans stimulantium volatilium, in corpore animali calorem, turgorem et expansionem vivam potissimum provocantium, usu absolvenda effectum desideratum hic praestare potest. Hanc vero indirectam solvendi methodum in illis modo casibus adhibere licebit, in quibus processus vitalis aut languet, aut ita tamen constitutus est, ut sine discrimine adhuc intendi possit.

§. 118.

Ubi indirecta illa solvendi methodus non admittitur, ea remedia in auxilium vocamus, quae produ-

cta vitae plasticæ, substantias nimirum organicas modo magis chimico adgredientia, directam illarum solutionem efficiunt: huc pertinent sales complures ea dosi adhibiti ne alvum laxent, alcalia fixa, saponēs, præparata hydrargyri et stibii, plantæ materia extractiva saponacea efficaces, producta saccharina et similia.

§. 119.

Sub ipso horum solventium usu eo respiciat medicus, ut: 1. remedia solventia morbi præsentis characteri adcommodet; 2. ut, quousque licet, curam solventibus mitioribus absolvat; 3. ut fortiora, si requirantur, cum majore circumspectione adhibeat, nec illorum usui ultra necessitatem insistat; 4. ut sub methodo solvente diutius adhibenda ad digestionis et chylicationis organa præprimis attendat, eorumque vim per solventia sæpius infractam remediis opportunis, præcipue amarīs, sustineat; 5. ut solventium effectum per regimen diætetikum conveniens adjuvet. Victus vegetabilibus solutionem potius promoventibus, herbis, radicibus, fructibus horæis, carnibus tenerioribus constituatur; potus aquosus sit et solito largior, aquæ minerales salinae et acidulae potum hic et medicamentum præbere possunt. Nec desit moderatus corporis motus: si activus motus non permittitur, substituatur passivus; temperatura subcalida, balnea, tepida medicamentorum solventium effectum egregie promovent; quod aëris puritas non

negligenda, mentis autem intentio, immoderati animi affectus et pathemata fugienda sint, per se clarum est.

CAPUT TERTIUM.

De methodo plastica s. restaurante.

§. 120.

In omnibus morbis dynamicis, in quibus vita plastica a norma sua ita recedit, ut substantiarum organicarum et ipsius organisationis evolutio retineatur, aut earundem resolutio atque destructio justo magis accelerentur, medendi methodus requiritur, quae substantiarum organicarum reproductionem et ulteriorem evolutionem adjuvat, et, quae per praevalentem destructionem amittuntur, alacrius restituit, atque haec methodus plastica, restaurans, s. nutriens vocatur.

§. 121.

Vitae plasticæ vigor a duobus potissimum dependet momentis, a processus scilicet vitalis in systemate reproductionis et vasorum vigentis gradu et a nutrimenti forinsecus ingerendi mole et indole: methodus igitur restaurans duplicis hujus momenti rationem habere debet, ita quidem, ut processum vi-

talem in systemate reproductionis et vasorum ad certum tenoris gradum sustineat, et requisitum simul nutrimentum suppeditet. Ut rectus vegetationis vigor constet, non sufficit, vitam ad energiae gradum quemcunque extollere, sed requiritur potius mitior quidam processus vitalis in systemate reproductionis et vasorum vigor; nimius enim vitae in eodem systemate fervor reproductioni et restaurationi legitimae non minus obest, quam languor ejusdem morbosus. Hinc methodum restaurantem adplicaturus primo examinandum habebit, quatenam sit vitae conditio in organis reproductioni inservientibus; si enim reproductionis defectus cum nimia processus vitalis acceleratione conjunctus foret, legitimus reproductionis gradus non restituetur prius, quam nimio vitae impetu antea moderato. Si vero reproductionis decrementum cum processus vitalis in systemate vasorum languore junctum incedit, prima methodi restaurantis cura eo convertenda erit, ut debilitas ista et languor tollantur; nullum enim nutrimentum nec optimum materiam organicam restituit, nisi antea digestum, assimilatum, et ad altiorem dignitatis animalis gradum elatum fuerit, quae omnia absque vitae in systemate reproductionis et vasorum renisu non absolvuntur: hinc methodus restaurans remediorum reactionem vitalem in systemate jam saepius dicto sollicitantium, vel et roborantium usum saepius expostulat.

§. 122.

Hæc omnia nihil proficiunt, nisi materia simul organismo subministretur, unde substantiam suam organicam præparare possit. Nutrimenta suam vegetationi materiam largiuntur: cibi, plastica; potulenta, fluida. Ex nutrimentis vita in reproductionis et vasorum systemate vicens substantiam organicam animale restituit, ulterius perficit et in formam organicam redigit; attamen non omne nutrimentum metamorphosim organicam eadem facilitate ac celeritate subit, eo potius est inter nutrimenta differentia, ut eorum quædam hanc metamorphosim facilius et citius, alia difficilius ac tardius admittant. Quo facilius autem nutrimenta singularem animalis cujusdam indolem suscipiunt, eo magis etiam in eodem reproductionem promovent, atque hoc de illis præcipue valet, quæ jam extra corpus animale altiore evolutionis organicæ gradum assecuta sunt; de nutrimentis igitur ex regno animali petitis et ex regno vegetabili istis, quæ ad naturam animale jam propius accedunt.

§. 123.

Hinc in subministrandis nutrimentis indoles eorum nutriens præ ceteris respicienda erit. Probe tamen notandum est, non in omni casu reproductionem maxime promoveri per nutrimenta maxime nutrientia; sed hic potius attendendum esse, non solum ad vi-

tae conditionem in systemate vasorum vigentis, sed simul etiam ad singularem, quae ad reproductionis opus contribuunt, functionem. Primo igitur nutrimenta, quae ad restaurandum organismum adhibentur, ita eligenda erunt, ut totius vitae et incitationis simul conditioni praesenti respondeant; quod si cum reproductionis decremento major vitae et praecipuis incitationis alacritas adest, nutrimenta quidem bona offerenda sunt, sed cavendum simul est, ne reactionem vitalem justo magis exstiment. Hunc in finem vegetabilia large nutrientia et mitiora simul praeferenda erunt nutrimentis animalibus; his vero in casu opposito locus primus concedendus.

§. 124.

In nutrimentorum subministratione jussum est praeterea ad singulas, quae ad reproductionem universam contribuunt, attendere functiones. Nutrimenta enim effectum suum non sicuti stimuli plures per totum organismum directe diffundere possunt, sed requiritur potius, ut alteram post alteram functionem permeent, neque alteram functionem subire possint, nisi per praegressam praeparata fuerint; sic nulla assimilatio sine praegressa digestionem et sic porro: hinc in adhibendis nutrimentis omnium primo ratio habenda est praesentis digestionis vigoris, eique nutrimentorum tum moles, tum indoles adaptanda. Si igitur cum deficiente reproductione digestionis simul languor adest, nutrimenta tenuiora, digestu facilia

et parva sed saepe repetita portione concedantur, et alia simul remedia adhibeantur, quae digestionis processum adjuvare solent. Eodem modo adsimilatio et singula alia functio ad reproductionem contribuens tractanda erit. Sub hoc respectu illud maxime agendum est, ut vita in systemate vasorum per aërem purum, calorem moderatum, motum corporis non exhaurientem, mentis hilaritatem etc. in justo tenore conservetur. Eadem vero ratione, qua haec omnia adsimilationem, sanguificationem, se- et excretionem promovent, eadem somnus tranquillus ipsam deinde nutritionem sustinet.

§. 125.

Haec autem substantiae organicae reparatio nihil proficit, nisi caveatur continua reparatae jactura. Substantia organica duplici ratione perditur: consumptione et evacuatione; hinc si quae adest evacuatio morbosa excedens, in hac limitanda et arcenda prima versabitur medici industria; qui prospiciendum simul habebit, ne praeparata vix materia organica per nimiam mentis intentionem, per animi effectus et pathemata, veneris abusum illico iterum consumatur et dissipetur.

CAPUT QUARTUM.

De methodo roborante.

§. 126.

Ea medendi ratio, qua reactioni vitali vim et constantiam et organisationi robur majus addimus, methodus roborans dicitur.

Organisationis robur a determinato cohaesionis gradu in substantiis organicis pro maxima parte dependet: summus igitur methodi roborantis finis ille erit, ut per remedia opportuna materiae plasticae in organismo animali evolutio, ejusque in cohaesionem missus ad certum usque gradum augeatur.

Indicatur haec methodus in omni vera debilitate vitali cum organisationis imbecillitate, a materiae plasticae perfectioris penuria, conjuncta. Adversatur aegris, qui sordes primarum viarum, aut viscera obstructa indurata gerunt; vel qui secretionum et excretionum parcite, retentione, vel qui morbo hypersthenico, inflammatione etc. adficiuntur.

§. 127.

Remedia huic methodo respondentia erunt, quae vitam intendentia metamorphosim substantiarum or-

ganicarum progressivam augent. Pertinent huc medicamina amara, pluria adstringentia, amaro-adstringentia, adstringentia cum aromate conjuncta, china-cea et ferrum.

§. 128.

Cum remedia hacce effectum suum salubrem non praestant, nisi ipsum vegetationis processum ejusque functiones ingrediantur, atque harum functionum subactioni cedant, in eorum adplicatione praecipue ad functionum vegetationem praeparantium conditionem respiciendum erit, atque ipsa remedia roborantia organorum his functionibus prospicientium energiae et receptivitati adcommodanda sunt.

§. 129.

Si igitur cum debilitate universali major organorum digerentium et assimilantium imbecillitas atque sensibilitas adsunt, methodus roborans ita instituenda erit, ut remedia adplicentur, horum organorum reactionem vitalem modo magis specifico sollicitantia atque nimiam simul illorum sensilitatem compescentia, quibus ad alia validiora praeparantur. Huic indicationi remedia amara et amaro-aromatica ut plurimum respondent, quid quod, si primae viae sordibus gastricis gravantur, evacuantia leniora non debilitantia, prae aliis rheum, his roborantibus praemit-

tenda erunt. Organis digestionis et assimilationis per haec remedia vel et quaecunque alia necessaria rite praeparatis, ad roborantia efficaciora progredimur, quorum deinde effectum omnibus illis adjuvamus, quae ad methodum restaurantem pertinent. —

CAPUT QUINTUM.

De methodo stimulante.

§. 130.

Morbi dynamici non pauci eam vitae debilitatem offerunt, ut vitae animalis (sensiferae nimirum et irritabilis) imbecillitas et languor princeps morbi momentum offerunt; in hoc casu methodus medendi dynamica eum in modum modificanda erit, ut processum vitalem sub eadem hac vitae animalis forma eminenter intendat; — quae hoc praestat methodus, stimulans medicis vocatur.

§. 131.

Cum incitationis momentum ubique ab incitabilitatis gradu et stimuli vi dependet, methodus etiam stimulans ad utrumque respiciat necesse est. Ut incitabilitas ex consilio determinetur, ipse processus

vitalis internus, ex quo procedit, methodo dinamica generali rite moderandus erit; deinde methodus stimulans in eo potissimum versari debet, ut stimulorum externorum vim debito modo intendat. Remedia huic indicationi satisfaciunt: stimuli sensus externos adficientes, lux, soni, odores, sapes, tactus objecta, mens ipsa sensus internos adficiens, imaginationes excitans, animum movens, motus musculares, calor externus, electricitas, aer atmosphaericus purus, oxygenio efficacior, nutrimenta, cibi praecipue animales, potus vinosi, medicamenta denique omnia, quorum eminens ad vitam ratio stimulans est. Cum ipsa ejusdem organismi organa in commercio dinamico ad se invicem versantur, alterius etiam organi reactio stimulus pro altero esse potest.

§. 132.

Remediorum horum applicatio et integra methodus stimulans regulis sequentibus adcommodanda erit:

1. Quaelibet vitae debilitas in incitatione maxime conspicua methodum stimulantem sibi exigit remediorum stimulantium usu absolvendam.

2. Remediorum stimulantium vis non solum debilitatis, sed et praesenti receptivitatis gradui ita adcommodanda erit, ut stimuli adhibendi quantitas cum receptivitatis gradu in ratione semper inversa sit. Varius autem receptivitatis gradus non tantum per morbum sed per totam etiam aegri dispositionem ab

aetate, sexu, temperamento dependentem, determinatur.

3. Stimuli, quo utimur, vis a remedii, quod illi exserit, indole interna et a dosi, qua adplicatur, dependet. Quod dosim attinet, qua remedium stimulans adhibetur, definienda est dosis illius generalis, deinde specialis et hujus repetitio. Dosis specialis receptivitatis quidem gradui adaptanda est; cum vero in casu quolibet singulari difficilis plerumque sit receptivitatis praesentis aestimatio, consultum erit, cum dosi semper minori incipere, quam praesens receptivitatis gradus exigere videtur, eamque paulatim augere donec effectum desideratum praestiterit. Effectus hujus ratio medicum simul in singula dosis repetitione dirigat; repetitur nempe singula dosis eo frequentior, quo minus adhuc plenus remedii effectus apparuerit: ubi vero remedium effectum desideratum exserit, rarius reiteratur singula illius dosis.

4. Si remedium stimulans effectum sufficientem non amplius exserit, quia organismus eidem sub eadem dosi paulatim adsuescit, oportet, aut remedii ejusdem dosim augere, aut alterum illi adjuvans addere, aut novum prorsus substituere, aut stimulantia duo, quorum alterum receptivitatem pro altero vacuit, alternatim exhibere, aut si periculum in mora non est, remedium hucusque adplicatum per aliquod temporis intervallum seponere, donec pristina pro illo receptivitas restituta fuerit.

5. Cavendum est, ne methodus stimulans magis

intendatur et praecipitetur, quam necessitas et aegri salus postulant. Immodicus enim stimulantium usus certissimum remedium est omnem pro illis receptivitatem extinguendi et aegrum eorum auxilio privandi, dum hujus necessitas quam maxime urget.

6. Methodo stimulant non ultra necessitatem insistendum et ab eadem abstinendum erit, quam primum vitae animalis incitatio ad eum usque gradum restituta fuerit, ut stimuli ordinarii ad eundem debite sustinendum sufficiant.

7. Methodus stimulans alia erit si sola incitationis alacritas major provocanda est, et alia iterum si motui organico robur magis constans addendum. In primo casu remedia mere stimulantia sufficiunt, in altero praeter irritationem reproductionis simul ratio habenda est, et cum methodo stimulante roborans et restaurans simul eonjungenda.

A. Methodus volatiliter stimulans.

§. 133.

Methodus volatiliter stimulans remedia adhibet, quibus motus expansivus cum vi praevalente sollicitatur, cujus deinde mutationes per universum organismum citissime diffunduntur, sed eadem etiam, qua adparent celeritate, iterum disparent.

§. 134.

Remedia huic iudicationi satisfaciencia praeter calorem, electricitatem, lucem, omnia medicamenta sunt, quae in pharmacologia sub titulo stimulantium volatiliū veniunt, in quorum adplicatione praeter regulam methodi stimulantis generalem, secundum quam in casu quolibet singulari receptivitatis gradui adplicanda sunt, hoc praeprimis notandum est, ut scilicet singulae illorum doses post intervalla breviora repetantur, quo solo effectus eorum volatilis per aliquod tempus sustineri potest. Sicuti ceteroquin stimulantium omnium abusus, ita quam maxime nocet stimulantium volatiliū usus nimis intensus aut justo diutius protractus, ut qui aut statum hypersthenicum, aut debilitatem indirectam, aut nimiam materiae organicae consumptionem, aut organisationis vitia saepius producit.

§. 135.

Indicata est methodus volatiliter stimulans in omni incitationis morbo, quo debilitas cum expansionis languore incedit, quem circulationis inertia, caloris animalis, turgoris vitalis et sensibilitatis decrementum manifestant.

Contraindicata est in omni casu, in quo motus expansivus jam excedit, quod orgasmus, calor corporis auctus, congestiones, summa nervorum sensibilitas indicat.

B. Methodus permanenter stimulans.

§. 136.

Methodus permanenter stimulans non fugacem incitationis exaltationem provocare, sed verum illi robur et constantiam addere tendit, id quod in omni morbo requiritur, in quo incitationis debilitas ad gradum altiore elata est.

§. 137.

Robur et constantia incitationis quam maxime a vi principii contractivi in organismo dependet, methodus igitur permanenter stimulans remedia exigit, quae hujus principii potestatem exaltant, quod vero cum remedia roborantia potissimum praestant, intelligitur inde methodum permanenter stimulantem eandem cum roborante esse, supra jam exposita.

CAPUT SEXTUM.

De methodo sedante.

§. 138.

Si vitae animalis incitatio morbose excedit, mendi methodo opus est, qua eousque moderatur, ut

ad gradum energiae normalem recedat; — quae his versatur medendi methodus, sedativa nomine generali vocatur.

In adhibenda hac methodo ad duplex iterum incitationis momentum, incitabilitatem nimirum et stimulos externos, ita respiciendum erit, ut utraque intra normae limites reducatur.

§. 139.

Incitationis excedentis duplex ratio esse potest, ut quae vel sub omni respectu, id est quoad vim internam et alacritatem, vel quoad solam celeritatem cum imminuta vi interna adaucta adparere potest, ad quam differentiam medicus probe adtendat, oportet.

§. 140.

Incitatio sub omni respectu excedens duabus semper innititur conditionibus, incitabilitati nimirum quoad utrumque momentum suum intensae, et stimulorum externorum vi; sub hac igitur rerum positione methodus sedativa indicationibus duabus satisfacere debet, quarum prima incitabilitati moderandae studet, altera in minuendis stimulis externis intensa est. Incitabilitatis ratio ubique a processus vitalis interni conditione dependet, nec revera moderari poterit (incitabilitas nimirum), nisi ipsius vitae energia infracta, ut igitur omnia, quae vitam internam restringunt, incitabilitatis simul evolutionem retineant. Altera indicatio jubet, ut stimulorum externorum in

incitabilitatem vis moderetur, atque hic iterum stimulorum, qui sensus externos adficiunt, deinde eorum, quibus mens in sensus internos et musculos voluntarios agit; moderamen sensuum igitur, imaginationis, animi corporisque quies, caloris externi et electricitatis temperatura minor, minor oxygenii in aëre atmosphaerico potestas, victus parvus vegetabilis, potus mere aquosus, humorum stimulantium subtractio, praecipua hujus medendi methodi remedia largiuntur. Non raro stimulus quidem alienus in organismo haerens praecipuam incitationis exorbitantis causam sistit, atque tunc prima medici cura eo tendat, ut stimulus ille amoveatur, destruat, immutetur, vel saltem obvolvatur et obtundatur.

§. 141.

Incitatio quoad solam alacritatem externam excedens, cum vi interna potius imminuta, cum eo incitabilitatis statu incedit, sub quo receptivitas pro stimulo exaltata, facultas autem agendi depressa est. Methodus sedativa in hoc casu incitabilitatem, quoad receptivitatem immodicam, ad certum usque gradum restringere et stimulorum simul externorum effectum ita moderare debet, ut praesenti receptivitis gradui conformis sit. Ut autem indicationi primae satisfiat, longe alia via incedendum erit, cum hic non integra incitabilitas, sed sola in illa receptivitas moderanda venit. Optima nimiam receptivitatem temperandi ratio hic ea est, quae rectam illius

ad facultatem reagendi proportionem restituit, quod duplici iterum modo fieri poterit; cum enim receptivitas pro stimulis excessus ab ea inter factores vitales proportionem abnormi dependet, qua fit, ut principium vitale positivum vim accipiat, aut absolute aut relative praevalentem: nimia haec receptivitas eo moderare poterit, quod ipsius principii vitalis positivi vis nimia compescatur, id quod narcotica et antiphlogistica tonica efficiunt, vel eo, quod principio negativo et nisui in contractionem vim addant, in quo praestando roborantium virtus excellit.

A. Methodus sapiens.

§. 142.

Methodus sapiens nobis hic nihil aliud est quam methodus sedativa in exorbitantem vitam sensiferam directa. Ad generales omnis methodi sedativae leges, duas iterum indicationes implendas habet: quarum prima systematis nervosi incitabilitatem seu sensibilitatem; altera stimulorum externorum systemati nervoso propriorum efficaciam imminuere jubet.

§. 143.

Incitabilitas nervosa sive sensibilitas immodica ex triplici fonte originem suam repetere potest: *a.* ex

alacriori systematis nervosi cum vasorum systemate conflictu dinamico, seu ex statu ipsius systematis nervosi inflammatorio; *b.* ex morbosa quadam ejusdem systematis nervosi irritatione sive somatica sive psychica, et *c.* ex debilitate vitae sensiferae directa.

§. 144.

Ubi sensibilitatis excessus ex diathesi systematis nervosi inflammatoria repetendus est: methodus debilitans et antiphlogistica hyperstheniae gradui accommodata plurimum ad sensibilitatis moderamen in hoc casu contribuet.

§. 145.

Si irritatio quaedam morbosa alia sive somatica sive psychica praecipuam sensibilitatis immodicae rationem continet, haec ipsa irritatio remediis opportunis tollenda erit; quod si medico concessum non esset, medicamenta in auxilium vocabit, quae singularem in restringendam sensibilitatem effectum exerunt, quo imprimis narcotica excellunt, atque hic cauta applicatio acidi hydrocyani, laurocerasi, opii, hyoscyami, lactucae scariolae et virosae, belladonnae, digitalis e. s. locum habere potest.

§. 146.

Ubi vero directa vitae sensiferae debilitas morbosam simul sensibilitatis exaltationem offert, reme-

dia stimulantia volatilia, quae in singulari ad vitam sensiferam ratione versantur et immodicae simul sensibilitati respondent: uti flores chamomillae, millefolii, chenopodii, asa foetida, castoreum, moschus, flores zinci, ipecacuanha refracta dosi adhibita et alia, adplicanda erunt, quibus praemissis ad remedia roborantia systemati nervoso praeprimis amica, radicem caryophyllae et praestantissimam in hoc casu chinam transeundum erit.

E. Methodus antiphlogistica.

§. 147.

Methodus antiphlogistica eo quam maxime tendit, ut reactionis vitalis in systemate vasorum sanguiferorum excessum, materiae plasticae elaborationem et nimiam caloris animalis exclusionem moderet.

§. 148.

Indicatur igitur in morbis, in quibus status morbosus vix expositus obtinet, id quod de febris inflammatoria et de inflammationibus localibus praecipue valet.

Contraindicatur per debilitatem vitalem, diathesim cachecticam et ad colliquationem nisum.

§. 149.

Absolvitur haec methodus remediorum sequentium adplicatione: 1. sanguinis subtractione; 2. remediis alios humores plasticos absque stimulo majori evacuantibus; 3. remediis mucilaginosi et antiphlogisticis solventibus, acidis lenioribus multum dilutis, salibus neutris refracta dosi adhibitis, praecipue nitro, mercurialibus lenioribus et inter haec mercurio dulci; 4. stimulorum fortiorum omnium fuga et moderatione: absint corporis motus, mentis cogitatio, lux intensior, aër nimis purus et siccus etc.; 5. praecipuam attentionem caloris temperatura sibi expostulat, cum et frigus intensius, et calor immodicus aegro sub certa rerum positione nocere possunt; 6. victus tenuis sit, mere vegetabilis, potus aquosus, mucilaginosus aut acidulus, nunc frigidus, nunc tepidus, ubique sat largus.

C. Methodus leniens.

§. 150.

Reactionis vitalis, quae sub incitationis forma in lucem emergit, incitatio aut alacritas justo major, ejus nonnunquam conditionis est, ut alia ratione ad normam non reducatur, nisi oppositione dinamica organismi vivi interna et externa ex consilio moderata. Quae hoc praestat methodus medendi atque internas

non solum sed et externas organismi rationes ad conditionem magis homogineam seu indifferentem, ut dicunt, reducit, methodus leniens nobis audit. Quatenus vero eadem haec methodus organisationis simul indolem ita mutat, ut moderata partium solidarum cohaesione habitum organorum magis mollem, laxumque efficiat, methodus etiam emolliens et relaxans medicis dicitur.

§. 151.

Cum remedia mucilaginosa et oleosa his indicationibus in omnem respectum satisfaciant, lenientia etiam et emollientia dicuntur. Dum enim modice nutriant, et corpori animali materiam organicam restituunt, in qua character animalis altior et necessaria ad vitam intensiorem oppositio minus emergunt, eo ipso irritabilitatis quoque et sensibilitatis evolutionem coërcent, consequenter internum incitationis momentum, ipsam scilicet irritabilitatem, moderant, cujus incitationis et externum simul momentum, incitamentum nimirum, eo restringunt, quod ipsum minime stimulat, et aliarum simul, quibus adduntur, substantiarum vim stimulantem magnopere temperant.

§. 152.

Justa horum medicamentorum adplicatione interna et externa tota absolvitur methodus leniens et emolliens, sub qua, praeter regulas generales, illae praecipue observandae sunt, ut sub interno horum

remediorum usu, ad digestionis et chylicationis organa respiciatur, ne nimia eorum mole, adplicatione justo diutius protracta vel et spissitudine obruantur, debilitentur, relaxentur. Deinde, ut, sive interne adhibeantur sub forma infusorum, decoctorum, emulso-
rum, sive externe sub forma lotionum, balneorum, fomentorum, cataplasmatum, nec nimis calide, nec frigide, sed moderato adplicentur caloris gradu instructa; cum indolem suam homogeneam et indifferentem pro organismo aegro eo magis deponunt, quo magis illorum temperatura caloris, qui ex aegro erumpit, gradum aut superat aut infra hunc recedit.

§. 153.

Indicatur ceteroquin methodus leniens in omni morbo hypersthenico et inflammatorio, ubi cum antiphlogistica et sopiente saepius conjuncta adhibetur; subinde vel sola in auxilium vocatur, ubi nimirum aut sola sufficit, aut methodus antiphlogistica et sopiens, ob singularem morbi et aegri constitutionem, non admittuntur. Indicatur porro in illis morborum adynamicorum casibus, ubi immodica, quae cum debilitate conjungitur, receptivitas remedia excitantia et roborantia non admittit prius, nisi nimia illa receptivitate et organorum agilitate per remedia lenientia antea placata.



